Murray Library
Lake Erie College
Painesville, Ohio

Date Due

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/anthologyoflatin0000robe

ANTHOLOGY OF LATIN POETRY

MACMILLAN AND CO., LIMITED
LONDON · BOMBAY · CALCUTTA
MELBOURNE

THE MACMILLAN COMPANY
NEW YORK · BOSTON · CHICAGO
ATLANTA · SAN FRANCISCO

THE MACMILLAN CO. OF CANADA, LTD.
TORONTO

ANTHOLOGY

OF

LATIN POETRY

BY

ROBERT YELVERTON TYRRELL, LITT.D.

FELLOW OF TRINITY COLLEGE, DUBLIN
HON. LITT.D. CANTAB., D.C.L. OXON., LL.D. EDIN.
FELLOW OF BRITISH ACADEMY OF LETTERS

871
T98a

MACMILLAN AND CO., LIMITED
ST. MARTIN'S STREET, LONDON
1908

First Edition 1901
Reprinted 1908

PREFACE

THIS collection of specimens of Latin poetry is intended to be a companion volume to the Eight Lectures given in America in 1893, and subsequently published (Houghton and Mifflin, Boston; Macmillan, London) under the title of *Latin Poetry* in 1895. I have called the collection *Latin Anthology*, as the most convenient title available; but that is not really the most accurate description which could be given of the contents or the aim of the volume. An anthology ought to contain only exquisite models of poetic composition. Now this collection aims at providing *characteristic* specimens of Latin poetry. Therefore, while the specimens of the work of the great masters will be very beautiful and also characteristic of their genius, the inferior artists will be found to exhibit the invariable signs of minor poetry, exaggeration, unreal sentiment, forcible-feeble diction, and ineffectual (sometimes almost ludicrously ineffectual) struggles to achieve the grand manner. This point of view has been put forward and illustrated in dealing with some of the early writers in *Latin Poetry*. It is dwelt upon in the notes to this volume in commenting on the specimens taken from Manilius and Grattius, who are not, I think, mentioned at all in *Latin Poetry*. Even in the case of the great poets like Lucretius, Statius, and Lucan, I have thought it better to present, among the more beautiful examples of their genius, also those which better illustrate their attitude towards their

Lake Erie College.
10701

art, and their peculiar place among the poets. Thus it seemed better to give, beside the sublime passages of Lucretius, some which dealt technically with his not very attractive subject; and the temperament of Statius could not have been so well understood, if I had not included examples of one or two of his failures to achieve the sustained splendour of the Horatian lyric. In a word, I have kept before my mind the endeavour to illustrate to some extent the weakness as well as the strength of the poets who are not in the first flight, and to point out characteristic blemishes in the notes. In the case of the very great poets I may have been guided in my choice by other considerations. For instance, I suppose there is hardly an ode written by Horace which would not grace any treasury of Latin verse: so perfect is the execution of every one of them, in spite of the lack of genuine feeling commented on in *Latin Poetry*. In the *embarras de richesse* I have been guided by a wish to illustrate the great variety of his lyric measures. Similarly in my selections from Juvenal I have sometimes been influenced by a desire to draw the attention of my readers to a beautiful emendation like *mulio* for *multo* in CCLXXXVI 148 or *miniis* for *miris* in CCXC 70. It is hoped that the exquisite *Perrigilium Veneris* (CCXCIII) is here presented with more attention to the text and fuller explanation of the meaning than have been hitherto accorded to it in Latin anthologies published in England.

As regards the commentary, in the case of the authors universally read and copiously edited and commented on, I have supplied no notes at all, except where I have introduced a reading which has not yet found its way into school editions. In dealing with those authors who have not been largely explained in English, I have aimed at giving such notes as would not be deemed superfluous by a teacher in the higher forms of a public school. No doubt I have not

always carried out my plan perfectly. Probably I have sometimes given a superfluous note, and perhaps I have sometimes failed to supply needful comment. I have studied brevity in my notes, which are strictly subservient to the text, and do not aim at conveying any higher instruction. In the selections from the more ancient writers I have largely used Dr. Merry's very excellent and scholarly little book *Fragments of Roman Poetry*, as well as Dr. Wordsworth's larger work *Fragments and Specimens of Early Latin*. My method of dealing with the plays of Plautus is explained in the note on LI, and a similar note on CCLIV will guide those who desire fuller comment on the Epigrams of Martial. I have often used the notes of Dr. Pinder in his *Less Known Latin Poets* (Oxford, 1869), and in other cases the source of my information is indicated in the notes themselves.

The orthography will, I hope, at least not mislead. I trust I have not admitted anywhere forms like *coelum*, *coena*, which point to an erroneous etymology, nor monstrous forms like *quum*. I have not banished *v* or *U* from my text, though I do not admit *j* or *J*. In the case of *uu* I have printed *uo*, or have changed the form of the word, giving *ecus*, *relincunt*, *secuntur*, *metuont*, for *equus*, *relinquunt*, *sequuntur*, *metuunt*. When I have given *suos tuos* for *suus tuus*, I have called attention to the case in the note when it seemed that the form might lead to misapprehension. As regards *-is* for *-es* in accus. plur. I have given the forms in *-is* in the pre-Ovidian poets only. In the rest I have kept the conveniently distinctive *-es*. I would justify this proceeding by the following extract from Prof. Lindsay's *Short Historical Latin Grammar* (Oxford, 1895), p. 55: "The accus. plur. was formed by adding *-ns* to the stem. Latin consonantal stems show *-es* from *-ens*, Latin I-stems show *-is* from *-ins*, e.g. *regēs*, *turrīs*. By the end of the Republic and the beginning of the Empire this distinction came to be lost sight of, and *turres*, *partes*,

and the like were allowed instead of *turrīs*, *partīs*." But the practice of the MSS. is very far from anything like uniformity, some showing *-es* quite early, and others *-is* till late in the Empire. If, therefore, I have inadvertently violated my own principle in any case, my text will in one sense be more classical—it will be more like a MS. The same must be my excuse for sometimes observing and sometimes neglecting assimilation in preps. in composition, e.g. *colligo* and *conligo*. The MSS. have no uniform practice. For statistics of the use of *-is* and *-es* in accus. plur. see *Neue Formenlehre*, i.[2] pp. 245 ff., especially 252–258.

The great kindness of my friend Sir R. C. Jebb, M.P., Regius Professor of Greek in Cambridge, has permitted me to embellish my notes with some of his exquisite translations from Lucan, Statius, Silius Italicus, and Ausonius.

Chronological order has been observed except in the case of Plautus and Terence, whom I have displaced in conformity with *Latin Poetry*, and Nemesianus, for a reason stated in the note on CCXXXI.

CONTENTS

PRE-HELLENIC POETRY . I–III
LIVIUS ANDRONICUS . . IV–V
NAEVIUS . . . . VI–IX
ENNIUS . . . . X–XV
PACUVIUS . . . XVI–XVII
CAECILIUS STATIUS . . XVIII
AQUILIUS XIX
TITINIUS XX
TURPILIUS XXI
TRABEA XXI
ACCIUS . . . XXII–XXV
LUCILIUS XXVI
AFRANIUS XXVII
LUTATIUS CATULUS . XXVIII
PORCIUS LICINUS. . . XXIX
VOLCATIUS SEDIGITUS. . XXX
HOSTIUS XXXI
FURIUS ANTIAS . . . XXXII
MATIUS . . . XXXIII
LAEVIUS XXXIV
NOVIUS XXXV
POMPONIUS . . . XXXVI
TERENTIUS VARRO . XXXVII
CICERO . . XXXVIII–XLI
LABERIUS . . . XLII–XLIII
FURIUS BIBACULUS . . XLIV
JULIUS CAESAR . . . XLV
TERENTIUS VARRO ATACINUS XLVI
PUBLILIUS SYRUS . . XLVII
HELVIUS CINNA . . . XLVIII
LICINIUS MACER . . XLIX
VARIUS L
PLAUTUS . . . LI–LXXII
TERENCE . . LXXIII–LXXX
LUCRETIUS . . . LXXXI–XCII
CATULLUS . . . XCIII–CIII
MAECENAS CIV
DOMITIUS MARSUS . . CV
VIRGIL . . . CVI–CXXIV
PSEUDO-VIRGIL . CXXV–CXXVII
HORACE . . CXXVIII–CLI
TIBULLUS . . . CLII–CLIX
PROPERTIUS . . CLX–CLXXI
OVID . . . CLXXII–CXCI
GRATTIUS CXCII
PEDO ALBINOVANUS . . CXCIII
CORNELIUS SEVERUS . . CXCIV
MANILIUS . . . CXCV–CC
PHAEDRUS . . . CCI–CCVI
SENECA . . CCVII–CCXIII
ANON (*Lydia, Aetna*) CCXIV–CCXVI
PERSIUS . . CCXVII–CCXXII
LUCAN . . CCXXIII–CCXXIX
CALPURNIUS SICULUS . . CCXXX
NEMESIANUS . . CCXXXI
SILIUS ITALICUS CCXXXII–CCXXXVI
VALERIUS FLACCUS CCXXXVII–CCXLI
STATIUS . . CCXLII–CCLIII
MARTIAL . . CCLIV–CCLXXVII
JUVENAL . CCLXXVIII–CCXCII
ANON (*Pervigilium Veneris*) CCXCIII
AUSONIUS . . CCXCIV–CCXCIX
CLAUDIAN . . . CCC–CCCV
RUTILIUS NUMATIANUS . CCCVI
PRUDENTIUS . CCCVII–CCCX
BOËTHIUS CCCXI

NOTES . . . . . Page 261

PRE-HELLENIC LATIN POETRY

I

CARMEN SALIARE

1. Cumé tonas, Leucésie, | praé tet tremónti
cumé tibi cúnei | décstumum tonáront.

CARMEN FRATRUM ARVALIUM

2. Enós, Lasés, iuváte, (*ter*)
neve lúe rúe Mármar sins | incúrrere in pléores. (*ter*)
satúr fu, fére Mars, li|mén salí sta bérber, (*ter*)
semúnis alterneí | ádvocápit cónctos. (*ter*)
enós Marmór iuváto. (*ter*)
triúmpe. (*quinquies*)

II

APPIUS CLAUDIUS CAECUS (fl. 300 B.C.)

1. Est únus quísque fáber | ipse suaé fortúnae.

2. Iudicís est aequi ánimi | cómpotem ésse,
ne quíd frudís pariát | ferócia struprique

MARCIUS VATES

3. Postrémus dicas, prímus | táceas – ⏑ ˘ ⏑

INCERTI AUCTORIS VATICINIUM

4. Románe, aquám Albánam | cáve lacú tenéri
cave ín maré manáre | flúminé sinás suo.
emíssa agrós rigábis | dissipátam rívis
exstíngues: túm tu insíste | aúdax hóstium múris.
memór quam pér tot ánnos | óbsidés úrbem,
ex eá tibí his fátis | núnc datám victóriam,
duéllo perfécto dónum | pórtato ámplum víctor
ad meá templá, sacráque | pátria quórum cúra est
omíssa, ut adsolét, | endóstauráta fácito.

III

SCIPIONUM ELOGIA

1. Cornéliús Lucíus | Scípío Barbátus,
Gnaivód patré prognátus | fórtis vír sapiénsque,
quoiús formá vírtuteí | parísuma fúit,
consól censór aidílis | queí fuít apúd vos,
Taurásiá Cisaúna | Sámnió cépit
subigít omné Loucánam | ópsidésque abdoúcit.

2. Honc oíno ploírumé | coséntiónt Románe
duonóro óptumó | fuíse viró viróro
Lucíom Scípióne. | filiós Barbáti
consól censór aidílis | híc fuét apúd vos.
hec cépit Córsica Aleriáque | úrbe pugnándod,
dedét Témpestátebus | aíde méretod vótam.

3. Quei ápice insígne Diális | fláminís gesístei
mors pérfécit túa ut | éssent ómniá brévia,
honós famá virtúsque | glória átque ingénium;
quibús sei in lónga licuis|ét tibe útier víta,
facilé facteís superáses | glóriám maiórum.
quaré lubéns te in grémiu, | Scípió, récipit
terrá, Publí, prognátum | Públió, Cornéli.

4. Magná sapiéntia | multásque vírtútes
aetáte quóm párva | pósidét hoc sáxsum,
quoieí vitá defécit | nón honós honóre.

is híc sitús quei núnquam | víctus ést virtútei.
annós gnatús vigínti ís | Diteist mandátus,
ne quaíratís honóre | queí minus sít mandátus.

5. Virtutes generis mieis moribus accumulavi,
progenie mi genui, facta patris petiei.
Maiorum optenui laudem ut sibei me esse créatum
laetentur, stirpem nobilitavit honos.

EARLIEST POST-HELLENIC LATIN POETRY

LIVIUS ANDRONICUS (c. 285–200 B.C.)

IV

TRANSLATIONS FROM THE *ODYSSEY*

1. Virúm mihi, Caména, | ínsece versútum. [α 1.]
2. Aut ín Pylúm advéniens | aút ibí ommántans. [β 317.]
3. Atqué escás habeámus | rúsus méntiónem. [δ 213.]
4. Igitúr demúm Ulíxi | fríxit praé pavóre cor. [ε 297.]
5. Ibí manéns sedéto | dónicum vidébis
me cárpentó vehéntem | én domúm venísse. [ζ 295.]
6. Opús puerárum mánibus | conféctum pulcérime. [η 235.]
7. Simúlac dácrumas de óre | noégeo detérsit. [θ 88.]
8. Toppér facit homónes | út priús fuérunt. [κ 432.]
9. Toppér cití ad aédis | vénimús Circái.
duóna eórum sérvae | pórtant ad návis :
edulia vina in isdem | induserinuntur. [μ 17–19.]
10. Carnís vinúmque quód | libábant ánclabátur. [ψ 304.]

V

Fragments from the *Tragedies*

Aegisthus

1. Tum autém lascivum Nérei simúm pecus
ludéns ad cantum clássem lustratúr ⏑ –.

2. Quin, quód parere míhi vos maiestás mea
procát, toleratis témploque hanc dedúcitis?

Aiax

3. Praestátur laus virtúti, sed multo ócius
vernó gelu tabéscit.

Andromeda

4. Cónfluges rivi conventu cámpum totum inúmigant.

Ex incertis fabulis

5. Florem ánculabant Liberi ex carchésiis.

6. Quem ego néfrendem alui lácteam immulgéns opem.

CN. NAEVIUS (269–204 B.C.)

VI

From the *Punic War*

1. Ambórum uxóres
noctú Troiád exíbant | cápitibús opértis
flentés ambaé abeúntes | dácrumís cum múltis.
. . . . .
eorúm sectám secúntur | múlti mortáles.

2. Ferúnt pulcrás cretérras | aúreás lepístas:
pulcráque ex aúro téxta | véstemqué citrósam.

3. Ineránt signá expréssa | quómodó Titánas
bicórporés Gigántes | mágniqué Atlántes
Runcús atqué Porpóreus | fílii Térras . . .

4. ⏑ ⏓ ⏑ príma incédit | Cererís puér Prosérpna.

5. Scopás atqué verbénas | ságminá sumpsérunt.

6. Onerária é onústae | stábant in flústris.

7. ⏓ ⏔ ⏓ quod brúti | néc satís sardáre
queúnt.

8. ⏓ ⏔ ⏓ ⏔ átque | priús pariét locústa
lucám bovém.

VII

From the *Tragedies*

Aesiona

1. Né mihi gerere mórem videar língua verum língula.

Danaë

2. Mále parta male dílabuntur.

3. Mánubias suppétiat prone.

Hector proficiscens

4. Laétus sum laudári me abs te, páter, a laudáto viro.

Lycurgus

5. Alté iubatos ánguis inlaesaé ferunt.

6. Líberi sunt: quáque incedunt ómnes arvas ópterunt.

7. Vos quí regalis córporis custódias
agitátis, ite actútum in frundiferós locos,
ingénio arbusta ubi náta sunt non óbsita.

8. Ut ín venatu vítulantis éx suis
lucís nos mittat poénis decoratás feris.

9. Cáve sis tuam conténdas iram cóntra cum ira Líberi.

10. Síc quasi amnis céleris rapit, sed támen inflexu fléctitur.

11. Iam íbi nos duplicat ádvenientis máximus timós pavos.

12. ∠ ut videam Vólcani opera haec flámmis fieri flóra.

13. Proinde húc Dryante régem prognatúm patre
Lycúrgum cette.

VIII

From the *Praetextae* and *Palliatae*

Romulus

1. Réx Veiens regém salutat Víba Albanum Amúlium
cómiter seném sapientem. 'cóntra redhostis?' 'mín salust?'

Aviolus

2. Deprándi item leóni si obdas óreas.

3. 'Quis heri ápud te?' 'Praenestíni et Lanuvini hóspites.'
'suópte utrosque décuit acceptós cibo:
altrís inanem vólvolam madidám dari,
altrís nuces in próclivi profúndier.'

Tarentilla

4. Quae ego ín theatro meís probavi plaúsibus
ea nón audere quémquam regem rúmpere!
quantó libertatem hánc hic superat sérvitus.

5. Quási pila
in choro ludéns datatim dát se et communém facit,
álii adnutat, álii adnictat, álium amat, aliúm tenet,
álibi manus est óccupata, álii percellít pedem,
ánnulum dat álii spectandum, á labris alium ínvocat,
cum álio cantat, át tamen alii suó dat digito lítteras.

Ex incertis fabulis

6. Líbera linguá loquemur lúdis Liberálibus.

IX

Epitaph on Himself

Mortális immortális | flére si forét fas
flerént divaé Caménae | Naéviúm poétam :
ítăque póstquam est Órci | tráditus thensaúro,
oblítei sunt Rómae | loquiér linguá Latína.

Q. ENNIUS (209–169 B.C.)

X

From the *Annals*

Excita cum tremulis anus attulit artubus lumen,
talia commemorat lacrimans, exterrita somno :
'Euridica prognata, pater quam noster amavit,
vires vitaque corpus meum nunc deserit omne.
nam me visus homo pulcher per amoena salicta
et ripas raptare locosque novos ; ita sola
postilla, germana soror, errare videbar
tardaque vestigare et quaerere te, neque posse
corde capessere, semita nulla pedem stabilibat.
exin compellare pater me voce videtur
his verbis : 'o gnata, tibi sunt ante ferendae
aerumnae, post ex fluvio fortuna resistet.'
haec ecfatus pater, germana, repente recessit
nec sese dedit in conspectum corde cupitus,
quamquam multa manus ad caeli caerula templa
tendebam lacrimans et blanda voce vocabam.
vix aegro tum corde meo me somnus reliquit.

XI

Cum cura magna curantes, tum cupientes
regni, dant operam simul auspicio augurioque.
. . . . .
hinc Remus auspicio se devovet, atque secundam
solus avem servat ; at Romulus pulcher in alto
quaerit Aventino, servat genus altivolantum :

omnibus cura viris uter esset induperator ;
certabant urbem Romam Remoramne vocarent.
exspectant veluti consul cum mittere signum
volt, omnes avidi spectant ad carceris oras,
quam mox emittat pictis e faucibus currus :
sic exspectabat populus atque ora tenebat,
rebus, utri magni victoria sit data regni.
interea sol albus recessit in infera noctis,
exin candida se radiis dedit icta foras lux,
et simul ex alto longe pulcherrima praepes
laeva volavit avis ; simul aureus exoritur sol.
cedunt de caelo ter quatuor corpora sancta
avium, praepetibus sese pulchrisque locis dant.
conspicit inde sibi data Romulus esse priora,
auspicio regni stabilita scamna solumque.

XII

1. Virgnes nam sibi quisque domi Romanus habet sas.

2. O Tite tute Tati tibi tanta, tyranne, tulisti !

3. Incedunt arbusta per alta, securibus caedunt :
percellunt magnas quercus, exciditur ilex,
fraxinus frangitur atque abies consternitur alta,
pinus proceras pervortunt : omne sonabat
arbustum fremitu silvai frondosai.

4. Nec mi aurum posco nec mi pretium dederitis :
nec cauponantes bellum sed belligerantes
ferro, non auro, vitam cernamus utrique.
vosne velit an me regnare era quidve ferat Fors
virtute experiamur. et hoc simul accipe dictum :
quorum virtuti belli fortuna pepercit
eorundem libertati me parcere certumst.
dono ducite doque volentibus cum magnis dis.

5. Nec quisquam Sophiam, sapientia quae perhibetur,
in somnis vidit prius quam sam discere coepit.

6. Postquam Discordia tetra
Belli ferratos postis portasque refregit.

7. Si sunt proelia promulgata,
pellitur e medio sapientia, vi geritur res,

spernitur orator bonus, horridus miles amatur:
haud doctis dictis certantes, sed maledictis
miscent inter sese inimicitiam agitantes.
non ex iure manum consertum, sed magis ferro
rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi.

XIII

1. Aece locutus vocat, quo cum bene saepe libenter
mensam sermonesque suos rerumque suarum
materiem partit, magnam cum lassus diei
partem fuisset de summis rebus regundis
consilio indu foro lato sanctoque senatu;
cui res audacter magnas parvasque iocumque
eloqueretur, cuncta simul malaque et bona dictu
evomeret, si qui vellet, tutoque locaret,
prudenter quod dicta loquive tacereve posset;
quo cum multa volup ac gaudia clamque palamque;
ingenium cui nulla malum sententia suadet
ut faceret facinus levis aut malus; doctus, fidelis,
suavis homo, facundus, suo contentus, beatus,
scitus, secunda loquens in tempore, commodus, verbum
paucum, multa tenens antiqua sepulta, vetustas
maiorum veterum leges divomque hominumque,
quae faciunt mores veteresque novosque tenentem.
hunc inter pugnas compellat Servilius sic.

2. Undique conveniunt velut imber tela tribuno:
configunt parmam, tinnit hastilibus umbo,
aerato sonitu galeae. sed nec pote quisquam
undique nitendo corpus discerpere ferro:
semper adundantis hastas frangitque quatitque.
totum sudor habet corpus multumque laborat,
nec respirandi fit copia praepete ferro:
Histri tela manu iacientes sollicitabant.

XIV

From the *Tragedies* and *Saturae*

1. Hec. Séd quid oculis rábere visa es dérepente ardéntibus?
úbi illa tua paulo ánte sapiens vírginalis modéstia?

Cass. máter, optumárum multo mulier mélior múlierum,
missa sum supérstitiosis áriolatiónibus.
námque Apollo fátis fandis démentem invitám ciet.
vírgines aequális vereor: pátris mei, meum factúm pudet,
óptumi virí. mea mater, tuí me miseret, meí piget.
óptumam progéniem Priamo péperisti extra me. hóc dolet!
mén obesse, illós prodesse, me óbstare, illos óbsequi!
ádest adest fax óbvoluta sánguine atque incéndio.
múltos annos látuit: cives, férte opem et restínguite.
iámque mari magnó classis cita
téxitur, exitium éxamen rapit:
ádveniet, fera vélivolantibus
návibus complebít manus litora.

2. Quíd petám praésidi aút éxsequár? quóve núnc
aúxilió éxilí aút fugaé fréta sím?
árce et úrbe órba súm. quo áccidám? quo ápplicém?
cuí nec arae pátriae domi stant, fráctae et disiectaé iacent,
fána flamma déflagrata, tósti alti stant párietes
déformati atque ábiete crispa.

. . . . . .

o páter, o patria, o Príami domus,
saeptum áltisono cardíne templum!
vidi égo te astante ope bárbarica,
tectís caelatis lácuatis,
auro, ébore instructam régifice.
haec ómnia videi inflámmari,
Priamó vi vitam evítari,
Iovis áram sanguine túrpari.

3. Agam. Quid nóctis videtur in áltisono
caelí clipeo?
Senex. superát temo
stellás cogens etiam átque etiam
noctís sublime iter.

4. Ástrologorum sígna in caelo quaésit, observát Iovis
cúm capra aut nepa aút exoritur lúmen aliquod béluae.
quód est ante pedes nóctu spectant: caéli scrutantúr plagas.

5. Quaé Corinthi arcem áltam habetis, mátronae opulentae
óptimates!
múlti suam rem béne gessere et públicam patriá procul,
múlti, qui domi aétatem agerent, própterea sunt ímprobati.

6. Égo deum genus ésse semper díxi et dicam caélitum,
séd eos non curáre opinor quíd agat humanúm genus;
nám si curent, béne bonis sit, mále malis; quod núnc abest.
. . . . . .
séd superstitiósi vates ínpudentesque árioli,
aút inertes aút insani aut quíbus egestas ímperat,
quí sibi semitám non sapiunt álteri monstránt viam,
quíbus divitias póllicentur áb eis drachumam ipsí petunt.
de hís divitiis síbi deducant dráchumam, reddant cétera.

7. Nunquám poëtor nísi sim podager.

XV

Epigrammata

1. Nemo me dacrumis decoret nec funera fletu
faxit. cur? volito vivus per ora virum.

2. Hic est ille situs cui nemo civis neque hostis
quivit pro factis reddere opis pretium.

3. A sole exoriente supra Maeotis paludes
nemost qui factis aequiperare queat.
si fas endo plagas caelestum ascendere cuiquamst,
mi soli caeli maxima porta patet.

M. PACUVIUS (220–130 B.C.)

XVI

From the *Tragedies*

1. Amphio. Quadrupés tardigrada agréstis humilis áspera,
brevi cápite, cervice ánguina, aspectú truci,
evíscerata inánima cum animalí sono.
Astici. ita saéptuosa díctione abs té datur,
quod cóniectura sápiens aegre contuit:
non íntellegimus, nísi si aperte díxeris.
Amphio. testudo.

2. Nám canis, quando ést percussa lápide, non tam illum
ádpetit,
quí sese icit, quam íllum eumpse lápidem, qui ipsa icta ést,
petit.

3. Fórtunam insanam ésse et caecam et brútam perhibent phílosophi,
sáxoque instare ín globoso praédicant volúbilei.
quía quo id saxum impúlerit fors, eo cádere Fortunam aútumant,
ínsanam autem esse aíunt quia atrox íncerta instabilísque sit:
caécam, ob eam rem esse íterant quia nil cérnat quo sese ádplicet:
brútam, quia dignum átque indignum néqueat internóscere.
súnt autem alii phílosophi, qui cóntra Fortunám negant
ésse ullam, sed témeritate rés regi omnis aútumant.
íd magis veri símile esse usus reápse experiundo édocet:
vélut Orestes módo fuit rex, fáctust mendícús modo
naúfragio: nempe érgo id fluctu, haud fórte fortuna óptigit.

4. . . . nam isti quí linguam avium intéllegunt
plusque éx alieno iécore sapiunt quam éx suo,
magis aúdiendum quam aúscultandum cénseo.

XVII

1. Hóc vide circúm supraque quód complexu cóntinet terram.
sólisque exortú capessit cándorem, occasú nigret,
íd quod nostri caélum memorant Grái perhibent aéthera:
quídquid est hoc, ómnia animat fórmat alit augét creat
sépelit recipitque ín sese omnia, ómniumque idem ést pater,
índidemque eadem aéque oriuntur de íntegro atque eodem óccidunt.
. . . . . .
máter est terra: cá parit corpus, ánimam aether ádiugat.

2. Matér, te appello, tú quae curam sómno suspensám levas
neque té mei miseret, súrge et sepeli nátum tuum prius quám ferae
volucrésque . . .
neu réliquias quaesó meas sieris dénudatis óssibus
per térram sanie délibutas foéde divexárier.

3. Nec úlla subscus cóhibet compagem álvei,
sed súta limo et spárteis serílibus . . .

4. Síc profectióne laeti píscium lascíviam
íntuentur, néc tuendi cápere satietás potest.

ínterea prope iam óccidente sóle inhorrescít mare,
ténebrae condúplicantur, noctisque ét nimbum obcaecát nigror,
flámma inter nubís coruscat, caélum tonitru cóntremit,
grándo mixta imbrí largifico súbita praecipitáns cadit,
úndique omnes vénti erumpunt, saévi existunt túrbines,
férvit aestu pélagus.

. . . . . .

rápide retro citróque percito aéstu praecipitém ratem
réciprocare, undaéque e gremiis súbiectare adflígere . . .

. . . . . .

. . . ármamentum strídor, flictus navium,
strépitus fremitus clámor tonitruum ét rudentum síbilus.

. . . pátria est ubicunque ést bene.

CAECILIUS STATIUS (219–166 B.C.)

XVIII

Is démum miser est quí suam aerumnám nequit
óccultare fóris : ita uxor méa forma et factís facit,
étsi taceam, támen indicium meaé quae, nisi dotem, omnia
quae nólis habét. qui sapít de me díscet,
quí quasi ad hostis cáptus liber sérvio salva úrbe atque arce.
dum eíus mortem inhio, égomet inter vívos vivo mórtuus.
quaé mihi quidquid plácet eo privatum ít me servatám velim?
éa me clam se cúm mea ancilla aít consuetum. id me árguit :
íta plorando orándo instando atque óbiurgando me óptudit,
eam utí venderém. nunc credo ínter suás
aequális, cognátas, sermónem serít :
'quís vostrarúm fuit íntegra aetátula
quae hóc idem a viro
ímpetrarít suo, quód ego anus modo
efféci, paelice út meum privarém virum?'
haéc erunt concília hocedie : dífferor sermóne misere.

In amóre suave est súmmo summaque ínopia
paréntem habere avárum, inlepidum, in líberos
difficilem, qui te néc amet nec studeát tui.
aut tu íllum furto fállas aut per lítteras
avértas aliquod nómen aut per sérvolum

percútias pavidum, póstremo a parcó patre
quod súmas quanto díssipes libéntius !

. . . . .

quem néque quo pacto fállam nec quid inde aúferam
nec quém dolum ad eum aut máchinam commóliar
scio quícquam : ita omnis meós dolos fallácias
praestígias praestrínxit commoditás patris.

3. Si cónfidentiam ádhibes, confide ómnia.

4. Deúm qui non summúm putet,
aut stúltum aut rerum esse ínperitum exístumem :
cui ín manu sit, quém esse dementém velit,
quem sápere, quem sanári, quem in morbum ínici,

. . . . .

quem cóntra amari, quem éxpeti, quem arcéssier.

AQUILIUS (?200–?150 B.C.)

XIX

Ut illúm di perdant prímus qui horas répperit,
quique ádeo primus státuit hic solárium :
qui míhi comminuit mísero articulatím diem.
nam unúm me puero vénter erat solárium
multo ómnium istorum óptimum et veríssimum :
ubi is nón monebat ésse, nisi cum níl erat ?
nunc étiam cum est, non éstur, nisi solí lubet.
itaque ádeo iam oppletum óppidumst soláriis,
maiór pars populi ut áridi reptént fame.

TITINIUS (184–159 B.C.) TOGATAE

XX

1. Da pénsam lanam, quí non reddit témperi
putátam recte, fácito ut multetúr malo.

2. Ni nós texamus, níl siet, fullónes, vobis quaésti.

3. Térra istaec est, nón aqua, ubi tu sólitu's argutarier
pédibus, cretam dúm compescis, véstimenta qui lavas.

4. Homó formicae pól persimil est rústicus.

XXI

TURPILIUS (date uncertain)

1. ST. Quaeso édepol quo ante lúcem te subitó rapis, ere, cum úno puero?
PH. néqueo esse intus, Stéphanio,
ST. quid ita?
PH. út solent, me cúrae somno ségregant forásque noctis éxcitant siléntio.
. . . . .
curréndum sic est, síc datur, nimium úbi sopori sérvias potiús quam domino.

2. Intércapedine ínterficior, désiderio différor:
tu es míhi cupiditas, suávitudo et méi animi expectátio.
. . . . .
vérita sum, ne amóris causa cumílla limassís caput.
. . . . .
me míseram terrent ómnia,
maris scópuli, sonitus, sólitudo, sánctitudo Apóllinis.
. . . . .
te, Apóllo sancte, fér opem, teque, omnípotens Neptune, ínvoco vosque ádeo ventí! . . . nam quíd ego te appellém, Venus?

TRABEA (date uncertain)

Lena delenita argento nutum observabit meum,
quid velim, quid studeam; adveniens digito impellam ianuam,
fores patebunt; de improviso Chrysis ubi me aspexerit,
alacris obviam mihi veniet complexum exoptans meum;
mihi se dedet; Fortunam ipsam antcibo fortunis meis.

L. ACCIUS (170–94 B.C.)

XXII

FROM THE *TRAGEDIES*

1. Immáne te habet témplum obvallatum óssibus.
. . . . .

mísera obvalla sáxo sento, paédore alguque ét fame.

. . . . .

quí neque terraest dátus, nec cineris caúsa unquam evasít vapos.

. . . . . .

quód beneficium haut stérili in segete, réx, te obsesse intélleges.

2. Virtúti sis par, díspar fortunís patris.

3. Oderint
dum métuant.

4. Iterúm Thyestes Átreum adtrectatum ádvenit,
iterúm iam adgreditur me ét quietum exsúscitat:
maiór mihi moles, maíus miscendúmst malum,
qui illíus acerbum cór contundam et cómprimam.

. . . . .

qui nón sat habuit cóniugem illexe ín stuprum.

. . . . .

quod re in súmma summum esse árbitror
periclum, matres cónquinari régias,
contáminari stírpem ac miscerí genus.

. . . . .

adde húc quod mihi porténto caelestúm pater
prodígium misit régni stabilimén mei,
agnum ínter pecudes aúrea clarúm coma
quondám Thyestem clépere ausum esse e régia,
qua in re ádiutricem cóniugem cepít sibi.

5. Cóncoquit
partém vapore flámmae, veribus ín foco
lacérta tribuit.

XXIII

1. Quibus oculis quísquam nostrum póterit illorum óptui
vúltus, quos iam ab ármis anni pórcent . . . ?

2. Quí, nisi genitorem úlso, nullum meís dat finem míseriis.

3. Probís probatum pótius quam multís fore.

4. Mórs amici súbigit, quod mi est sénium multo acérrimum.

. . .

nec pérdoliscit flígi socios, mórte campos cóntegi.

XXIV

1. Tánta moles lábitur
fremibúnda ex alto ingénti sonitu et spíritu,
prae se úndas volvit, vórtices vi súscitat,
ruít prolapsa, pélagus respargít reflat.
ita dum ínterruptum crédas nimbum vólvier,
dum quód sublime véntis expulsúm rapi . . .
saxum aút procellis vél globosos túrbines
exístere ictos úndis concursántibus:
nisi quás terrestris póntus strages cónciet,
aut fórte Triton fúscina everténs specus
suptér radices pénitus undante ín freto
molem éx profundo sáxeam ad caelum erigit.

2. Vagént ruspantes sílvas, sectantés feras.

. . . . .

quam invíta ancillans, dícto obediéns viri.

. . . . .

nihil hórum similest ápud Lacaenas vírgines,
quibus mágis palaestra Euróta sol pulvís labor
milítia studio est quám fertilitas bárbara.

3. Forte ánte auroram, rádiorum ardentum índicem,
cum e sómno in segetem agréstes cornutós cient,
ut rórulentas térras ferro fúmidas
proscíndant glebasque árvo ex molli exsúscitent . . .

4. Lemnía praesto
litóra rara, et celsá Cabirum
delúbra tenes, mistéria quae
pristína castis concépta sacris . . .
Volcánia iam templá sub ipsis
collíbus in quos delátus locos
dicítur alto ab limíne caeli . . .
nemus éxpirante vapóre vides,
unde ígnis cluet mortálibus clam
divísus: eum dictús Prometheus
clepsísse dolo poenásque Iovi
fato éxpendisse suprémo.

XXV

From the *Praetextatae*

1. Quom iám quieti córpus nocturno ímpetu
dedí sopore plácans artus lánguidos,
visum ést in somnis pástorem ad me adpéllere
pecús lanigerum exímia pulchritúdine,
duos cónsanguineos árietes inde éligi
praeclárioremque álterum immoláre me.
deinde eíus germanum córnibus conítier
in me árietare, eoque íctu me ad casúm dari:
exím prostratum térra, graviter saúcium,
resupínum in caelo cóntueri máximum
mirificum facinus: déxtrorsum orbem flámmeum
radiátum solis liquier cursú novo.

. . . . .

rex, quae in vita usúrpant homines, cógitant curánt vident,
quaéque agunt vigilántes agitantque, éa si cui in somno áccidunt,
mínus mirum est, sed dí rem tantam haut témere improviso ófferunt.
proín vide, ne quém tu esse hebetem députes aeque ác pecus,
ís sapientiá munitum péctus egregié gerat
téque regno expéllat: nam id quod dé sole ostensum ést tibi
pópulo commutátionem rérum portendít fore
pérpropinquam. haec béne verruncent pópulo! nam quod déxterum
cépit cursum a laéva signum praépotens, pulchérrime
aúguratum est rém Romanam públicam summám fore.

2. Pátrio exemplo et mé dicabo atque ánimam devoro hóstibus.

C. LUCILIUS (180–103 B.C.)

XXVI

1. Tubulus si Lucius unquam,
si Lupus aut Carbo, Neptuni filius putasset
esse deos, tam periurus, tam impurus fuisset?

2. Nunc vero a mani ad noctem festo atque profesto,

toto ibidem pariterque die populusque patresque
iactare indu foro se omnes, decedere nusquam ;
uni se atque eidem studio omnes dedere et arti,
verba dare ut caute possint, pugnare dolose ;
blanditia certare, bonum simulare virum se ;
insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

3. Quam lepide λέξεις compostae ut tesserulae omnes
arte pavimento atque emblemate vermiculato !

4. Verum haec ludus ibi susque omnia deque fuerunt,
susque ea deque fuere, inquam, omnia, ludus iocusque ;
illud opus durum, ut Setinum accessimus finem ;
αἰγίλιπoι montes, Aetnae omnes, asperi Athones.

5. Hinc catapeiratera puer deorsum dedit, unctum
plumbi pauxillum raudus linique mataxam.

6. O lapathe, ut iactare, nec es satis cognitus qui sis !
in quo Laelius clamores σοφός ille solebat
edere, compellans gumias ex ordine nostros.

7. 'Occidam illum equidem et vincam, si id quaeritis,' inquit ;
'verum illud credo fore : in os prius accipiam ipse
quam gladium in stomacho furiae ac pulmonibus sisto.
odi hominem, iratus pugno ; nec longius quicquam
nobis, quam dextrae gladium dum accommodet alter :
usque adeo studio atque odio illius eeferor ira.

8. Quo me habeam pacto, tametsi non quaeris, docebo ;
quando in eo numero mansi, quo in maxima nunc est
pars hominum,
ut periisse velis, quem visere nolueris cum
debueris. hoc 'nolueris' et 'debueris' te
si minus delectat quod τεχνίον Isocratium est
ληρῶδεςque simul totum et συμμειρακιῶδες,
non operam perdo.

9. *Ar.* non multum hoc abest cacosyntheton atque canina
si lingua dico *nihil ar me.* nomen hoc illist.

9*a*. A primast : hinc incipiam, et quae nomina ab hoc sunt,
'AA geminum longa, A brevis syllaba.' nos tamen unum
hoc faciemus, et uno eodemque, ut dicimus, pacto
scribemus pācem, plăcide, Iānum, āridum, ăcetum ;
Ἄρες Ἄρες Graeci ut faciunt.

. . . . . .

Iam 'puerei venere' E postremum facito atque I,
ut pueri plures fiant. I si facis solum,
'pupilli, pueri, Lucili,' hoc unius fiet.
'hoc illi factum est uni,' tenue hoc facies I;
'haec illei fecere.' addes E, ut pinguius fiat.

10. Ut Romanus pópulus victus vi ét superatus proéliis
saépe est multis, béllo vero númquam, in quo sunt ómnia.

11. Cúm sciam nihil ésse in vita próprium mortalí datum,
iám qua tempestáte vivo χρῆσιν ad me récipio.

12. 'Quaprópter certum est fácere contra ac pérsequi
et nómen deferre hóminis'—'hoc cum féceris,
cum céteris reus úna tradetúr Lupo.'
'non adérit'—'ἀρχαῖς hóminem et στοιχείοις simul
privábit: igni cúm et aqua interdíxerit
duo habét στοιχεῖα'—'at frúitur anima et córpore:
γῇ córpus, anima est πνεῦμα'—'posterióribus
στοιχείοις, si id malúerit, privabít tamen.'

L. AFRANIUS (born circ. 144 B.C.)

XXVII

1. Fateor, súmpsi non ab illó modo,
sed út quisque habuit cónveniret quód mihi,
quod mé non posse mélius facere crédidi,
etiam á Latino.

. . . . .

Terénti numne símilem dicent quémpiam?

. . . . .

ut quícquid loquitur, sál merum est!

2. Formósa virgo est: dótis dimidiúm vocant
istí, qui dotis néglegunt uxórias:
praetérea fortis.

. . . . .

dat rústico nesció cui vicinó suo
perpaúperi, cui dícat dotis paúlulum.

. . . . .

pistóri nubat? cúr non scriblitário,
ut míttat fratris fílio lucúnculos?

3. Nolí, mea mater, mé praesente cúm patre
coícere !—non, si noénu vis, o mél meum.

. . . . . .

ne ego íllos velitántes auscultó lubens.

. . . . . .

saéviter ferre haéc te simula, et gnátam ab illo abdúcere.

. . . . . .

haec, taetérrime,
sunt póstprincipia atque éxitus malaé vitiosae vítae.

. . . . . .

utí servorum cáptus est, facíllime
domo átque nostra fámilia protrúditur.

. . . . . .

tui
verétur, me ad te mísit oratúm pater.

4. Dum mé morigeram, dúm morosam praébeo,
deinde áliquid dedita ópera controvérsiae
concínno, laedo intérdum contuméliis.

5. Si póssent homines délenimentís capi
omnés haberent núnc amatorés anus.
aetás et corpus ténerum et morigerátio,
haec súnt venena fórmosarum múlierum :
mala aétas nulla délenimenta ínvenit.

6. Novi non inscítulam
ancíllulam, vestrae híc erae vestíspicam.

7. Male meréntur de nobís eri,
qui nós tanto opere indúlgent in puéritia.

Q. LUTATIUS CATULUS (fl. circ. 100 B.C.)

XXVIII

1. Aufugit mi animus. credo, ut solet, ad Theotimum
devenit. sic est : perfugium illud habet.
quid ? quasi non interdixem, ne illunc fugitivum
mitteret ad se intro, sed magis eiceret !
ibimus quaesitum. verum ne ipsi teneamur
formido. quid ago ? da Venus consilium.

2. Constiteram exorientem Auroram forte salutans,
cum subito a laeva Roscius exoritur.
pace mihi liceat, caelestes, dicere vestra;
mortalis visust pulchrior esse deo.

PORCIUS LICINUS (fl. circ. 90 B.C.)

XXIX

Dúm lasciviám nobilium et laúdes fucosás petit,
dum Africani vócem divinam haúrit avidis aúribus,
dum ád Philum se cénitare et Laélium pulchrúm putat,
dúm se amari ab hís concredit, crébro in Albanúm venit.
. . . . . .
suís postlatis rébus ad summam ínopiam redáctus est.
ítaque ex conspectu ómnium abit ut Graéciae in terram
últimam,
mórtuost Stympháli, Arcadiae in óppido, nil Públius
Scípio profuít, nihil illi Laélius, nil Fúrius,
trés per id tempús qui agitabant fácile nobilíssimi:
eórum ille opera né domum quidem hábuit conductítiam,
sáltem ut esset quó referret óbitum domini sérvulus.

VOLCATIUS SEDIGITUS (fl. circ. 90 B.C.)

XXX

1. Multós incertos cértare hanc rem vídimus,
palmám poetae cómico cui déferant.
eum meó iudicio errórem dissolvám tibi,
ut, cóntra si quis séntiat, nil séntiat.
Caecílio palmam Státio do mímico;
Plautús secundus fácile exsuperat céteros;
dein Naévius qui férvet pretio in tértiost;
si erít quod quarto détur dabitur Lícinio.
post ínsequi Licínium facio Atílium;
in séxto consequétur hos Teréntius;
Turpílius septimúm, Trabea octavum óptinet;
nonó loco esse fácile facio Lúscium;
decimum áddo causa antíquitatis Ennium.

2. Publí Terenti hae quaé vocantur fábulae
cuiaé sunt? non qui iúra gentibús dabat
has súmmo honore afféctas fecit fábulas?

HOSTIUS (fl. circ. 80 B.C.)

XXXI

1. Per gentis altivolantum
aetherias atque ardua tesca intraque volabis
templa antiqua deum.
2. Non si mihi linguae
centum atque ora sient totidem vocesque liquatae.
3. Dia Minerva simul, simul autem invictus Apollo,
arquitenens Latonius.

A. FURIUS ANTIAS (fl. circ. 85 B.C.)

XXXII

1. Sanguine diluitur tellus, cava terra lutescit.
2. Omnia noctescunt tenebris caliginis atrae.
3. Increscunt animi, virescit vulnere virtus.
4. Sicut fulca levis volitat super aequora classis.
5. Spiritus Eurorum virides cum purpurat undas.
6. Quo magis in patriis possint opulescere campis.

CN. MATIUS (fl. circ. 100 B.C.)

XXXIII

1. Corpora Graiorum maerebat mandier igni.
2. Obsceni interpres funestique ominis auctor.
3. Dum dat vincendi praepes Victoria palmam.
4. An mancat specii simulacrum in nocte silentum.
5. Quapropter edulcare convenit vitam
curasque acerbas sensibus gubernare.

6. Nuper die quarto, ut recordor, et certe
aquarium urceum unicum domi fregit.
7. Sinuque amicam refice frigidam caldo
columbulatim labra conserens labris.
8. Iam tonsiles tapetes ebrii fuco.

LAEVIUS (fl. circ. 90 B.C.)

XXXIV

1. Corpore tenuato pectoreque
undique obeso ac mente exsensa
tardigeniclo senio obpressum.
2. Et iam purpureo suras include cothurno,
balteus et revocet volucres in pectore sĭnus,
pressaque iam gravida crepitent tibi terga pharetra,
derige odorisequos ad certa cubilia cănes.
3. Lex Licinia introducitur,
lux liquida haedo redditur.
4. Antipathes illud quaerito,
philtra omnia undique irruunt:
trochilisci, iunges, taeniae,
radiculae, herbae, surculi,
sauri, illices bicodulae,
hinnientium dulcedines.

FABULAE ATELLANAE

Q. NOVIUS (fl. circ. 90 B.C.)

XXXV

1. Ó pestifera pórtentifera trúx tolutiloquéntia!
2. Límen superum, quód mei misero saépe confregít caput,
ínferum autem, dígitos omnis úbi ego defregí meos.
3. Dum istos ínvitabis súffragatorés, pater,
príus in capulo quam ín curuli sélla suspendés natis.
4. Qui hábet uxorem síne dote, ei pánnum positum in púrpura est.

POMPONIUS (fl. circ. 90 B.C.)

XXXVI

1. Quí postquam tibi adpáreo atque acdítumor in templó tuo
néc mortalis néc mortalium úllum in terra míseriust.

2. Tum praé se portant áscendibilem sémitam,
quem scálam vocitant.

3. Dantór publicitus Dóssenno et fullónibus
cibária.

4. Nóli, quaeso, iráscere :
móre fit, morire suam vir quísque ut uxorém velit.

5. Víx nunc quod edim invénio : quid nam fíet, si quam dúxero ?

6. Lónge ab urbe vílicari, quó crus rarentér venit,
íd non vilicári sed dominári est mea senténtia.

7. Quin érgo, quando cónvenit, compléctite !
'mi fráter, salveto.' 'ó soror, salvé, mea.'

8. Séd meus
fráter maior, póstquam vidit mé vi deiectúm domo,
núpsit posteriús dotatae vétulae varicosaé vafrae.

9. Ego dédita opera té, pater, solúm foras
sedúxi, ut ne quis ésset testis tértius
praetér nos, tibi cum túnderem labeás lubens.

10. Cuiusvís leporis Líber diademám dedit.

11. Lápatium nullum útebatur, lárdum lurchabát lubens.

12. Míserit me eorum quí sine frustis véntrem frustrarúnt suum.

13. Égo rumorem párvi facio, dúm sit rumen qui ímpleam.

M. TERENTIUS VARRO (116–26 B.C.)

XXXVII

Saturae Menippeae

1. Ita sublimis spéribus
iáctato homines át volitantis áltos nitens trúdito.

2. Sed neque vetulus cantherius quam novellus melior nec canitudini comes virtus.

3. Non mirum si caecuttis, aurum enim non minus praestringit oculos quam ὁ πολὺς ἄκρατος.

4. Sed quidvis potius homo quam caruncula nostra.

. . . . .

anima út conclusa in vésica quandó est arte religáta,
si pertuderis, aëra reddet.

5. Dotís dato insulám Chrysam, agrum Caécubum, seplásia
Capuaé, macellum Romuli.

. . . . .

et Hýmenaeus qui prímo lavere alvúm marsuppió solet.

6. Mundús domus est maxíma homulli,
quam quínque altitonae flámmigerae
zonaé cingunt, per quám limbus
bis séx signis stellímicantibus
aptús in obliquo aethére Lunae
bigás acceptat.

7. Vinó nihil iucúndius quisquám bibit:
hoc aégritudinem ád medendam invénerunt,
hoc hílaritatis dúlce seminárium,
hoc cóntinet coágulum convívia.

8. Postrémo nemo aegrótus quicquam sómniat
tam infándum, quod non áliquis dicat phílosophus.

9. Phrygius per ossa cornus liquida canit anima.

. . . . .

tibi typana non inanis sonitus Matris deum
tonimus chorus tibinos tibi nunc semiviri;
teretem comam volantem iactant tibi famuli.

10. Proptér cunam capulúm positum
nutrix tradit pollíctori.

11. Natura humanis omnia sunt paria.
qui pote plus urget pisces ut saepe minutos
magnus comest, ut avis enicat accipiter.

12. Sed, ó Petrulle, né meum taxís librum
si té pepúgerit hic modús scaenátilis.

. . . .

Si dísplicebit, tám tibi latúm mare
parabit aliquam spongiam deletilem.

13. Ante aúris nodo ex cróbyli subpárvuli
intórti emittebántur sex cicínnuli :
oculís suppaetulís nigelli púpuli
quantam hílaritatem sígnificantes ánimuli !
quos cálliblepharo náturali pálpebrae
tinctaé vallatos móbili septó tenent.
. . . rictus parvíssimus
ut réfrenato rísu roseo . . .
lacúlla in mento impréssa Amoris dígitulo
vestígio demónstrat mollitúdinem.
collúm procerum fíctum levi mármore
regíllae tunicae définitur púrpura.

M. TULLIUS CICERO (106–43 B.C.)

XXXVIII

Nam primum astrorum volucris te consule motus
concursusque gravi stellarum ardore micantis
tu quoque, cum tumulos Albano in monte nivalis
lustrasti, et laeto mactasti lacte Latinas,
vidisti et claro tremulos ardore cometas ;
multaque misceri nocturna caede putasti,
quod ferme dirum in tempus cecidere Latinae,
cum claram speciem concreto lumine luna
abdidit et subito stellanti nocte perempta est.
quid vero Phoebi fax, tristis nuntia belli,
quae, magnum ad columen, flammato ardore volabat,
praecipitis caeli partis obitusque petissens :
aut cum terribili perculsus fulmine civis
luce serenanti vitalia lumina liquit ?
aut cum se gravido tremefecit corpore tellus ?
iam vero variae nocturno tempore visae
terribiles formae bellum motusque monebant,
multaque per terras vates oracla furenti
pectore fundebant tristis minitantia casus ;
atque ea quae lapsu tandem cecidere vetusto,
haec fore perpetuis signis clarisque frequentans

ipse deum genitor caelo terrisque canebat.
nunc ea Torquato quae quondam et consule Cotta
Lydius ediderat Tyrrhenae gentis haruspex,
omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
nam pater altitonans stellanti nixus Olympo
ipse suos quondam tumulos ac templa petivit
et Capitolinis iniecit sedibus ignis.
tum species ex aere vetus veneratque Nattae
concidit elapsaeque vetusto numine leges,
et divom simulacra peremit fulminis ardor.
hic silvestris erat Romani nominis altrix
Martia, quae parvos Mavortis semine natos
uberibus gravidis vitali rore rigabat:
quae tum cum pueris flammato fulminis ictu
concidit atque avulsa pedum vestigia liquit.

XXXIX

1. Argolicis primum ut vestita est classibus Aulis,
quae Priamo cladem et Troiae pestemque ferebant,
nos, circum latices gelidos fumantibus aris,
aurigeris divom placantes numina tauris,
sub platano umbrifera, fons unde emanat aquai,
vidimus inmani specie tortuque draconem
terribilem, Iovis ut pulsu penetraret ab ara;
qui platani in ramo foliorum tegmine saeptos
corripuit pullos; quos cum consumeret octo,
nona super tremulo genetrix clangore volabat,
cui ferus inmani laniavit viscera morsu.
hunc ubi tam teneros volucris matremque peremit,
qui luci ediderat genitor Saturnius, idem
abdidit, et duro firmavit tegmina saxo.
nos autem timidi stantes mirabile monstrum
vidimus in mediis divom versarier aris.
tum Calchas haec est fidenti voce locutus:
'quidnam torpentes subito obstipuistis, Achivi?
nobis haec portenta deum dedit ipse creator
tarda et sera nimis, sed fama ac laude perenni,
nam quot avis taetro mactatas dente videtis,
tot nos ad Troiam belli exanclabimus annos,
quae decumo cadet, et poena satiabit Achivos.'
edidit haec Calchas, quae iam matura videtis.

2. O decus Argolicum, quin puppim flectis, Ulixes,
auribus ut nostros possis agnoscere cantus?
nam nemo haec unquam est transvectus caerula cursu
quin prius adstiterit vocum dulcedine captus,
post, variis avido satiatus pectore Musis,
doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.
nos grave certamen belli clademque tenemus
Graecia quam Troiae divino numine vexit,
omniaque e latis rerum vestigia terris.

XL

Titánum soboles, sócia nostri sánguinis,
generáta Caelo, aspícite religatum ásperis
vinctúmque saxis, návem ut horrisonó freto
noctém paventes tímidi adnectunt návitae.
Satúrnius me síc infixit Iúppiter,
Iovísque numen Múlcibri adscivít manus.
hos ílle cuneos fábrica crudeli ínserens
perrúpit artus; quá miser sollértia
transvérberatus cástrum hoc Furiarum íncolo.
iam tértio me quóque funestó die
tristi ádvolatu adúncis lacerans úngulbus
Iovís satelles pástu dilaniát fero.
tum iécore opimo fárta et satiata ádfatim
clangórem fundit vástum, et sublime ávolans
pinnáta cauda nóstrum adulat sánguinem.
cum véro adesum inflátu renovatum ést iecur,
tum rúrsus taetros ávida se ad pastús refert.
sic húnc custodem maésti cruciatús alo,
qui mé perenni vívum foedat míseria.
namque út videtis vínclis constrictús Iovis
arcére nequeo díram volucrem a péctore.

XLI

O múlta dictu grávia, perpessu áspera,
quae córpore exancláta atque animo pértuli!
nec míhi Iunonis térror implacábilis,
nec tántum invexit trístis Eurystheús mali
quantúm una vecors Oénei partu édita.
haec me ínretivit véste furiali ínscium,

quae láteri inhaerens mórsu lacerat víscera
urguénsque graviter púlmonum haurit spíritus ;
iam décolorem sánguinem omnem exsórbuit.
sic córpus clade horríbili absumptum extábuit,
ipse ílligatus péste interimor téxtili.
hos nón hostilis déxtra, non Terra édita
molés Gigantum, nón biformato ínpetu
Centaúrus ictus córpori inflixít meo,
non Graía vis, non bárbara ulla inmánitas,
non saéva terris géns relegata ultimis,
quas péragrans undique ómnem efferitatem éxpuli ;
sed féminea vir, féminea interimór manu.
o náte, vere hoc nómen usurpá patri !
ne me óccidentem mátris superet cáritas.
huc árripe ad me mánibus abstractám piis.
iam cérnam mene an íllam potiorém putes.
perge, aúde, nate ! illácrima patris péstibus !
miserére ! gentes nóstras flebunt míserias.
heu ! vírginalem me óre ploratum édere,
quem vídit nemo ulli íngemiscentém malo !
sic féminata vírtus adflicta óccidit.
accéde, nate, adsíste, miserandum ádspice
evíscerati córpus laceratúm patris !
vidéte, cuncti, túque, caelestúm sator,
iace, óbsecro, in me vím coruscam fúlminis !
nunc, núnc dolorum anxíferi torquent vértices,
nunc sérpit ardor. o ánte victricés manus !
o péctora, o terga, ó lacertorúm tori !
vestróne pressu quóndam Nemeaeús leo
frendéns efflavit gráviter extremum hálitum ?
haec déxtra Lernam taétra mactata éxcetra
pacávit ; haec bicórporem afflixít manum ;
Erymánthiam haec vastíficam abiecit béluam ;
haec é Tartarea ténebrica abstractúm plaga
tricípitem eduxit, Hydra generatúm canem ;
haec ínteremit tórtu multiplicábili
dracónem, auriferam obtútu adservantem árborem.
multa ália victrix nóstra lustravít manus,
nec quísquam e nostris spólia cepit laúdibus.

DECIMUS LABERIUS (circ. 105–43 B.C.)

XLII

1. Quíd est ius iurandum? émplastrum aeris álieni.
2. Utrum tu húnc gruem Baleáricum an hominém putas ésse?
3. Demócritus Abderítes physicus philósophus
clipeúm constituit cóntra exortum Hyperíonis,
oculós effodere ut pósset splendore aéreo.
ita rádiis solis ácies effodit lúminis,
malís bene esse né videret cívibus.
sic égo fulgentis spléndorem pecúniae
volo élucificare éxitum aetatís meae,
ne in ré bona esse vídeam nequam fílium.

XLIII

Necéssitas, cuius cúrsus transversi ímpetum
voluérunt multi effúgere, pauci pótuerunt,
quo mé detrusit paéne extremis sénsibus!
quem núlla ambitio, núlla umquam largítio,
nullús timor, vis núlla, nulla auctóritas
movére potuit ín iuventa dé statu:
ecce ín senecta ut fácile labefecít loco
viri éxcellentis ménte clemente édita
summíssa placide blándiloquens orátio!
etenim ípsi di negáre cui nil pótuerunt
hominém me denegáre quis possét pati?
ego bís tricenis ánnis actis síne nota
equés Romanus é Lare egressús meo
domúm revertar mímus. nimirum hóc die
unó plus vixi míhi quam vivendúm fuit.
Fortúna, inmoderata ín bono aeque atque ín malo,
si tíbi erat libitum lítterarum laúdibus
floréns cacumen nóstrae famae frángere,
cur cúm vigebam mémbris praeviridántibus,
satisfácere populo et táli cum poterám viro,
non mé flexibilem cóncurvasti ut cárperes?
nuncíne me deicis? quó? quid ad scaenam ádfero?
decórem formae an dígnitatem córporis,

animí virtutem an vócis iucundaé sonum ?
ut hédera serpens víres arboreás necat
ita mé vetustas ámplexu annorum énecat :
sepúlchri similis níl nisi nomen rétineo.
porró, Quirites, líbertatem pérdimus.

M. FURIUS BIBACULUS (born 103 B.C.)

XLIV

1. Catonis modo, Galle, Tusculanum
tota creditor urbe venditabat.
mirati sumus unicum magistrum,
summum grammaticum, optimum poetam,
omnis solvere posse quaestiones,
unum deficere expedire nomen :
en cor Zenodoti, en iecur Cratetis.

. . . . . .

si quis forte mei domum Catonis,
depictas minio assulas, et illos
custodis videt hortulos Priapi,
miratur quibus ille disciplinis
tantam sit sapientiam assecutus,
quem tres cauliculi, selibra farris,
racemi duo tegula sub una
ad summam prope nutriant senectam.

2. Interea Oceani linquens Aurora cubile.

. . . . . .

ille gravi subito deiectus vulnere habenas
misit equi, lapsusque in humum defluxit et armis
reddidit aeratis sonitum.

. . . . . .

pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.

. . . . . .

rumoresque serunt varios et multa requirunt.

. . . . . .

nomine quemque ciet : dictorum tempus adesse
commemorat.

. . . . . .

confirmat dictis simul atque exsuscitat acris
ad bellandum animos, reficitque ad praelia mentis.

C. JULIUS CAESAR (100–44 B.C.)

XLV

Tu quoque tu in summis, o dimidiate Menander,
poneris, et merito, puri sermonis amator.
lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret vis
comica, ut aequato virtus polleret honore
cum Graecis, neve hac despectus parte iaceres!
unum hoc maceror ac doleo tibi deesse, Terenti.

P. TERENTIUS VARRO ATACINUS (fl. 50 B.C.)

XLVI

1. Semianimesque micant oculi lumenque requirunt.

2. Vidit et aetherio mundum torquerier axe
et septem aeternis sonitum dare vocibus orbis
nitentis aliis alios, quae maxima divis
laetitiast. at tunc longe gratissima Phoebi
dextera consimilis meditatur reddere voces.

3. Tum liceat pelagi volucres tardaeque paludis
cernere inexpleto studio certare lavandi,
et velut insolitum pennis infundere rorem;
aut arguta lacus circumvolitavit hirundo,
et bos suspiciens caelum (mirabile visu)
naribus aërium patulis decerpsit odorem;
nec tenuis formica cavis non evehit ova.

PUBLILIUS SYRUS (fl. 50 B.C.)

XLVII

1. Ab álio expectes álteri quod féceris.
2. Aliénum aes homini ingénuo acerba est sérvitus.
3. Amáre et sapere víx deo concéditur.
4. Avárus nisi cum móritur nil recté facit.
5. Animo ímperabit sápiens, stultus sérviet.

6. Bonitátis verba imitári maior málitia est.
7. Bene víxit is qui pótuit cum voluít mori.
8. Cotídie damnatus quí sempér timet.
9. Etiám celeritas ín desiderió mora est.
10. Effúgere cupiditátem regnum est víncere.
11. Fortúna vitrea est: túm cum splendet frángitur.
12. Gravíssimum est impérium consuetúdinis.
13. Homo éxtra corpus ést suom cum iráscitur.
14. Honésta turpitúdo est pro caúsa bona.
15. Herédis fletus súb persona rísus est.
16. In núllum avarus bónus est, in se péssimus.
17. Inópiae desunt paúca, avaritiae ómnia.
18. Male víncit quem post paénitet victóriae.
19. Pudór dimissus númquam redit in grátiam.
20. Rapere ést accipere quód non possis réddere.
21. Spina étiam grata est éx qua spectatúr rosa.
22. Tacitúrnitas stulto hómini pro sapiéntia est.
23. Tam deést avaro quód habet quam quod nón habet.
24. Ubi péccat aetas maíor male discít minor.
25. Ubi ínnocens formídat damnat iúdicem.
26. Veterém ferendo iniúriam invités novam.

C. HELVIUS CINNA (fl. 50 B.C.)

XLVIII

1. Atque anquina regat stabilem fortissima cursum.

2. Haec tibi Arateis multum vigilata lucernis
carmina, quis ignis novimus aetherios,
levis in aridulo malvae descripta libello
Prusiaca vexi munera navicula.

C. LICINIUS MACER (fl. 50 B.C.)

XLIX

1. A virgo infelix, herbis pasceris amaris ;

. . . .

mens mea dira sibi praedicens omina vecors.

. . . . .

cum gravis ingenti conivere pupula somno . . .

. . . . .

frigida iam celeri superata est Bistonis ora.

. . . . .

sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus.

2. Sardi Tigelli putidum caput venit.

L. VARIUS RUFUS (fl. 40 B.C.)

L

1. Vendidit hic Latium populis agrosque Quiritum
eripuit: fixit leges pretio atque refixit.

2. Quem non ille sinit lentae moderator habenae
qua velit ire, sed angusto prius orbe coercens
insultare docet campis fingitque morando.

3. Ceu canis umbrosam lustrans Gortynia vallem,
si veteris potuit cervae deprendere lustra,
saevit in absentem et circum vestigia lustrans
aethera per nitidum tenuis sectatur odores;
non amnes illam medii, non ardua tardant,
perdita nec serae meminit decedere nocti.

T. MACCIUS PLAUTUS (254–184 B.C.)

LI

A Battle Scene

Amph. I. i. 65–94 (219–247)

SOSIA.

Póstquam utrimque éxitumst máxuma cópia,
díspertití viri, díspertiti órdines:
nós nostras móre nostro ét modo instrúximus
légiones, item hóstes contra légiones suas ínstruont;
deínde utrinque ímperatóres medii éxeunt
éxtra turbam órdinum, cónloquontúr simul.

cónvenit, vícti utri sínt eo proélio,
úrbem, agrum, arás, focos séque uti déderent.
póstquam id actúmst, tubae cóntra utrimque óccanunt.
cónsonat térra; clamórem utrimque éfferunt;
ímperatór utrimque hínc et illínc Iovi
vóta suscípere, utrimque hórtari exércitum;
pró se quisque íd, quod quisque ét potest ét valet,
édit, ferró ferit. téla frangúnt; boat
caélum fremitú virum. ex spíritu atque hálitu
nébula constát; cadunt vólnerum ví viri.
dénique, ut vóluimus, nóstra superát manus;
hóstes crebrí cadunt; nóstri contra íngruont
ví feroces.
séd fugam in sé tamen némo convórtitur;
néc recedít loco, quín statim rém gerat.
ánimam omittúnt prius, quám loco démigrent.
quísque, ut steterát, iacet óptinetque órdinem.
hóc ubi Amphítruo erus cónspicatúst meus,
íllico equités iubet déxtera indúcere.
équites parént: citi ab déxtera máxumo
cúm clamore ínvolant ímpetu cúm alacri,
foédant et próterunt hóstium cópias
iúre iniustas.

LII

An Exchange of Epithets

Asin. II. ii. 24–50 (290–316)

LIBANUS. LEONIDA.

Le. Séd quid ego hic, properáns, concesso pédibus, lingua lárgior?
quín ego hanc iúbeo tacere, quaé loquens lacerát diem?
Li. édepol hominem ínfelicem, quí patronam cómprimat!
nám si quid sceléste fecit, língua pro illo péierat.
Le. adproperabo: né post tempus praédae praesidiúm parem.
Li. quaé illaec praeda est? íbo advorsum atque électabo, quídquid est.
iúbeo te salvére voce súmma, quoad virés valent.
Le. gýmnasium flagrí, salveto.
Li. quíd agis, custos cárceris?
Le. ó catenarúm colone!
Li. o vírgarum lascívia!

LE. quót pondo ted ésse censes núdum?
LI. non edepól scio.
LE. scíbam ego, te nescíre; at pol ego, quí ted expendí, scio:
núdus vinctus céntum pondo es, quándo pendes pér pedes.
LI. quo árgumento istúc?
LE. ego dicam, quo árgumento et quó modo?
ád pedes quando ádligatumst aéquom centupóndium;
úbi manus manicaé complexae súnt atque adductae ád trabem,
néc dependes, néc propendes, quín—malus nequámque sis.
LI. vaé tibi!
LE. istoc téstamento Sérvitus legát tibi.
LI. vérbivelitátionem fíeri compendí volo.
quíd istuc est negóti?
LE. certum est crédere?
LI. audactér.
LE. licet,
sís, amanti súbvenire fámiliari fílio:
tántum adest boni ímproviso; vérum commistúm malo.
ómnes de nobís carnuficum cóncelebrabuntúr dies.
Líbane, nunc audácia usust nóbis inventa ét dolis:
tántum facinus hódie inveni ego, út nos dicamúr duo
ómnium digníssumi esse, quó cruciatus cónfluant.
LI. érgo mirabár, quod dudum scápulae gestibánt mihi,
hárioIari quae óccoeperunt, síbi esse in mundó malum.

LIII

The Ménage of an Heiress

Aul. III. v. 31–62 (505–535)

MEGADORUS. EUCLIO.

ME. Nunc quóquo venias, plús plaustrorum in aédibus
videás, quam ruri, quándo ad villam véneris.
sed hoc étiam pulcrum est, praé quam ubi sumtús petunt:
stat fúllo, phrygio, aúrifex, lanárius,
caupónes patagiárii, indusiárii,
flammeárii, violárii, carinárii,
stant mánulearii, stant malobathrárii;
propólae linteónes, calceolárii,
sedentárii sutóres diabathrárii,
soleárii astant, ástant molocinárii;
petúnt fullones, sárcinatorés petunt;

strophiárii astant, ástant semul sonárii.
iam hosce ábsolutos cénseas: cedúnt, petunt
trecénti; cum stant thýlacistae in átriis
textóres limbulárii, arculárii.
ducúntur; datur aes. iam ábsolutos cénseas:
quom incédunt infectóres corcotárii,
aut áliqua mala crux sémper est, quae aliquíd petat.
Eu. compéllarem ego illum, ní metuam, ne désinat
memoráre mores múlierum: nunc síc sinam.
Me. ubi núgivendis rés soluta est ómnibus
ibi ád postremum cédit miles, aés petit.
itúr, putatur rátio cum argentário;
impránsus miles ádstat, aes censét dari.
ubi dísputata est rátio cum argentário,
etiám plus ipsus débet argentário.
spes prórogatur míliti in aliúm diem.
hae súnt atque aliae múltae in magnis dótibus
incómmoditates súmtusque intolerábiles.
nam quae índotata est, éa in potestate ést viri;
dotátae mactant ét malo et damnó viros.

LIV

The Old Education and the New

Bacch. III. iii. 12–44 (416–447)

PHILOXENUS. LYDE. MNESILOCHUS.

Phi. Paúlisper, Lyde, ést lubido hómini suo animo óbsequi;
iam áderit tempus, cúm sese etiam ipse óderit. morém geras.
dúm caveatur, praéter aequom né quid delinquát: sine.
Ly. nón sino, neque équidem illunc me vívo corrumpí sinam.
séd tu, qui tam pró corrupto dícis causam fílio,
éademne erat haec dísciplina tíbi, cum tu adulescéns eras?
négo, tibi hoc annís viginti fuísse primis cópiae,
dígitum longe a paédagogo pédem ut efferres aédibus.
ánte solem éxorientem ni ín palaestram véneras,
gýmnasi praefécto poenas haud mediocris pénderes.
íd quom optigerat, hóc etiam ad malum áccersebatúr malum:
ét discipulus ét magister pérhibebantur ímprobi.
íbi cursu, luctándo, hasta, dísco, pugilatú, pila,
sáliendo, sese éxercebant mágis, quam scorto aut sáviis;
íbi suam aetatem éxtendebant, nón in latebrosís locis.

índe de hippodromo ét palaestra úbi revenissés domum :
cíncticulo praecínctus in sella ápud magistrum adsíderes
cúm libro : cum légeres, si unam péccavisses sýllabam,
fíeret corium tám maculosum, quam ést nutricis pállium.
MNE. própter me haec nunc méo sodali díci, discruciór miser :
ínnocens suspícionem hanc sústinet causá mea.
PHI. álii, Lyde, núnc sunt mores.
LY. íd equidem certó scio :
nam ólim populi príus honorem cápiebat suffrágio,
quám magistri désinebat ésse dicto obédiens ;
át nunc priusquam séptuennis ést, si attingas éum manu :
éxtemplo puer paédagogo tábula dirumpít caput.
quóm patrem adeas póstulatum, púero sic dicít pater :
"nóster esto, dúm te poteris défensare iniúria."
próvocatur paédagogus : "ého, senex minimí preti,
ne áttigas puerum ístac causa, quándo fecit strénue."
ítur illinc iúre dicto. hóccine hic pactó potest
ínhibere imperiúm magister, si ípsus primus vápulet ?

LV

The Parasite's Occupation is gone

Capt. III. i. 9–29 (469–489)

ERGASILUS.

Ílicet parasíticae arti in máxumam malám crucem :
íta iuventus iám ridículos ínopesque ab se ségregat.
níl morantur iám Laconas, únisubsellí viros,
plágipatidas, quíbus sunt verba síne penu et pecúnia ;
eós requirunt, quí, lubenter quom éderint, reddánt domi.
ípsi obsonant, quaé parasitorum ánte erat província ;
ípsi de foró tam aperto cápite ad lenonés eunt,
ín tribu quam apérto capite sóntis condemnánt reos ;
néque ridículos iám terrunci fáciunt ; sese omnés amant.
nám uti dudum hinc ábii, accessi ad ádulescentes ín foro ;
sálvete, inquam : quo ímus una ad prándium ? — atque illí tacent.—
quís ait, "huc," aut quís profitetur ? ínquam. — quasi mutí silent,
néque me rident. úbi cenamus ? ínquam. atque illi ábnuont.
díco unum ridículum dictum dé dictis melióribus,
quíbus solebam ménstrualis épulas ante adipíscier.

némo ridet. scívi extemplo, rém de compectó geri.
né canem quidem írritatam vóluit quisquam imitárier,
sáltem, si non árriderent, déntis ut restríngerent.
ábeo ab illis, póstquam video mé sic ludificárier ;
pérgo ad alios ; vénio ad alios, déinde ad alios : úna rest ;
ómnes de compécto rem agunt, quási in Velabro oleárii.

LVI

The Bride is brought Home

Cas. iv. iv. 1–28 (815–854)

PARDALISCA. OLYMPIO. LYSIDAMUS.

Par. I, sénsim superattólle limen pedés, nova nupta : sóspes
iter íncipe hoc, ut víro tuo sémper sis supérstes :
ut pótior sis polléntia, victríxque sis, superétque
tuum impérium. vir te véstiat, tú virum despólies ;
noctúque et diu ut viro súbdola sies, ópsecro, meménto.
Ol. malo máximo suo hercle ílico, ubi tántillum peccássit.
Lys. tacé.
Ol. non taceó.
Lys. quae res ?
Ol. mála malae male mónstrant.
Lys. faciés tu hanc rém mihi ex paráta imparátam.
id quaérunt, volúnt, haec ut ínfecta fáciant.
Par. age, Olýmpio, quándo vis, úxorem áccipe hanc a nóbis.
Ol. date érgo, datúrae si únquam estis hódie.
Lys. abíte intro.
Par. amábo, integrae átque imperítae huic impército.
Ol. futúrum est.
Par. valéte.
Ol. ite iam.
Lys. ite.
Par. iam valéte.
Lys. iamne ábscessit úxor ?
Ol. domiést : ne time.
Lys. eúax !
nunc pól demum ego súm liber.
meum córculum, mélculum, vérculum !
Ol. heús tu, maló, si sapís,

cavébis: meást haec.
LYS. seió;
sed meús fructus ést priór.
OL. tene hánc lampadém!
LYS. imo ego hánc tenébo.
Venus múltipotens, bona múlta mihi
dedísti, huius quóm copiám mihi dedísti.
OL. corpúsculum malaculúm!
mea uxórculá! quae rest?
LYS. quid ést!
OL. ínstitit plántam quasi lúca bos.
LYS. táce sis, nebula haud aéque mollis ést atque huius péctus est.
OL. edepól papillam béllulam!—hei miseró mihi!
LYS. quid est?
OL. péctus mi icit nón cubito verum áriete.
LYS. quid tu érgo hanc, quaeso, tráctas tam durá manu? at míhi, qui belle hanc trácto, non bellum facit.
OL. vah!
LYS. quíd negotist?
OL. óbsecro, ut valéntulast! paene éxposivit cúbito.
LYS. cubitum ergo íre vult.
OL. quin ímus ergo?
LYS. i bélle, bélliátula.

LVII

AN ANAGNORISIS

Cist. IV. ii. 57–86 (723–752)

HALISCA. PHANOSTRATA. LAMPADIO.

HA. Mí homo et mea múlier, vos salúto.
PH. et nós te. sed quid quaéritas?
HA. vestígium hic requíro, qua aufúgit quaedam, quá opus erat in quaéstione.
LA. quid íd namst?
HA. aliénum quod dum erit áfferet maerórem familiárem.
LA. mala mérs, era, haec et cállidast.
PH. ecástor ita vidétur.
LA. imitátur nequam béstiam et damnífícam.
PH. quamnam, amábo?

La. invólvolum, quae in pámpini folio íntorta implicát se :
itidem haéc exorditúr sibi intórtam oratiónem.
quid quaéritas ?
Ha. cistéllula hinc mi, aduléscens, evolávit.
La. in cávea latam opórtuit.
Ha. non édepol praeda mágna.
La. mirúm, quin grex venálium in cistélla infuerit úna.
Ph. sine dícat.
La. si dicát quidem.
Ph. age, loquére tu, quid ibi infúerit.
Ha. crepúndia una.
La. est quídam homo, qui illam aít se scire, ubí sit.
Ha. at pól ille a quadam múliere, si eam mónstret, gratiam íneat.
La. at síbi ille quidam vólt dari mercédem.
Ha. at pol illa quaédam, quae illánc cistellam pérdidit, quoidám negat esse quód det.
La. at enim ílle quidam operám bonam magis éxpetit quam argéntum.
La. at pól illi quoidam múlieri nulla ópera gratuítast.
Ph. commódule, quaedam : tú tibi nunc pródes. confitémur cistéllam habere.
Ha. at vós Salus servássit ! ubi ea núnc est ?
Ph. salvam éccam ! sed ego rém meam magnám confabulári tecúm volo : sociám mihi te adópto ad meam salútem.
Ha. quid istúc negotist, aút quis es ?
Ph. egó sum illius máter, quae haec géstitavit.
Ha. híccine tu ergo hábitas ?
Ph. harioláre.
sed, quaéso, ambages, múlier, mitte atque hóc age :
elóquere, unde haec sunt tíbi, cito, crepúndia.
Ha. mea haéc erilis géstitavit fília.
La. mentíris ; nam mea géstitavit, nón tua.
Ph. ne oblóquere.
La. taceo.
Ph. múlier, perge dícere.
ubi eást, quae gestitávit ?
Ha. hic in próxumo.

LVIII

Phaedromus comes to visit his Mistress

Cur. I. i. 1–30 (1–30)

PALINURUS. PHAEDROMUS.

Pa. Quo téd hoc noctis dícam proficiscí foras
cum istóc ornatu, cúmque hac pompa, Phaédrome?
Ph. quo Vénus Cupidoque ímperat, suadét Amor.
si média nox est, síve est prima véspera;
si státus condictus cum hóste intercedít dies:
tamen ést eundum, quo ímperat, ingrátiis.
Pa. at tándem, tandem . . .
Ph. tándem es odiosús mihi.
Pa. istúc quidem nec béllum est nec memorábile:
tuté tibi puer es: laútus luces céreum.
Ph. egon' ápicularum cóngestum opera nón feram,
ex dúlci oriundum, mélculo dulcí meo?
Pa. nam quó te dicam ego íre?
Ph. si tu mé roges,
dicam, út scias.
Pa. si rógitem, quid respóndeas?
Ph. hoc Aésculapi fánumst.
Pa. plus iam annó scio.
Ph. huic próxumum illud óstiumst oculíssumum.
salvé! valuistin?
Pa. óstium occlusíssumum,
caruítne febris te hére vel nudius tértius,
et héri cenavistíne?
Ph. deridésne me?
Pa. quid tu érgo, insane, rógitas, valeatne óstium?
Ph. bellíssumum hercle vídi et taciturníssumum:
nunquam úllum verbum múttit; quom aperitúr, tacet;
quomque ílla noctu clánculum ad me exít, tacet.
Pa. numquíd tu, quod te aut génere indignum sít tuo
facis aút inceptas fácinus facere, Phaédrome?
num tú pudicae quoípiam insidiás locas,
aut quám pudicam ésse oportet?
Ph. némini;
nec me ílle sirit Iúppiter!
Pa. ego itém volo.

ita tuóm conferto amáre semper, sí sapis,
ne id, quód ames, populus sí sciat, tibi sít probro.
sempér curato, né sis intestábilis.

LIX

Stratippocles consoles Epidicus

Epid. v. i. 1–27 (607–633)

STRATIPPOCLES. EPIDICUS.

St. Mále morigerus mist danista, quí de me argentum haúd petit,
néque illam adducit, quae émta ex praedast. séd eccum incedit Épidicus.
quíd illuc est, quod illí caperrat fróns severitúdine?
Ep. si úndecim deos praéter sese sécum adducat Iúppiter:
íta non omnes éx cruciatu póterunt eximere Épidicum.
Périphanem emere lóra vidi; ibi áderat una Apoécides:
núnc homines me quaéritare crédo. senserúnt; sciunt,
síbi data esse vérba.
St. quid agis, méa commoditas?
Ep. quód miser.
St. quíd est tibi?
Ep. quin tú mihi adornas ád fugam viáticum,
príusquam pereo? nám per urbem dúo defloccatí senes
quaéritant me; in mánibus gestant cópulas secúm simul.
St. hábe bonum animum.
Ep. quíppe ego, quoi libértas in mundó sitast!
St. égo te servabo.
Ep. édepol me illi mélius, si nactí fuant.
séd quis est haec muliércula, et illic grávastellus, quí venit?
St. híc est danista, haec íllast autem, quam émi ex praeda.
Ep. haéccinest?
St. haéc est. estne, út tibi dixi? adspécta.
Ep. haec?
St. contempla, Épidice.
úsque ab unguiculo ád capillum súmmumst festivíssuma!
éstne consimilis quási cum signum píctum pulchre aspéxeris?
Ep. éx tuis verbis méum futurum córium pulchrum praédicas,
quém Apella atque Zeúxis duo pingént pigmentis úlmeis.
St. di ímmortales, scío, si iussem ad me íret pedibus plúmbeis
quí perhibetur, príus venisset, quám tu advenistí mihi.

DA. haéc edepol remoráta med est.
ST. síquidem istius grátia
íd remoratu's, quód ista voluit, nímium advenistí cito.
DA. áge, age, absolve me, átque argentum número, ne comités morer.
ST. pérnumeratumst.
DA. téne cruminam: huc índe.
ST. sapientér venis!
ópperire, dum éffero ad te argéntum.
DA. maturá!
ST. domist.

LX

THE MAID SENDS MENAECHMUS TO THE JEWELLER'S

Men. III. iii. 1–25 (524–548)

ANCILLA. MENAECHMUS.

AN. Menaéchme, amare aít te multum Erótium,
ut hóc una opera síbi ad aurificem déferas,
atque huíc ut addas aúri pondo únciam,
iubeásque spinter nóvom reconcinnárier.
ME. et istúc et aliud, sí quid curarí volet,
me cúraturum dícito, quidquíd volet.
AN. scin, quód hoc sit spinter?
ME. néscio, nisi aúreum.
AN. hoc ést, quod olim clánculum ex armário
te súrrupuisse aiébas uxorí tuae.
ME. nunquam hércle factumst.
AN. án non meministi, óbsecro?
redde ígitur spinter, sí non meministí.
ME. mane:
imo équidem memini: némpe hoc est, quod illí dedi.
AN. istúc.
ME. ubi illae armíllae, quas uná dedi?
AN. nunquám dedisti.
ME. nám pol hoc uná dedi.
AN. dicám curare?
ME. dícito: curábitur.
et pálla et spinter fáxo referantúr simul.
AN. amábo, mi Menaéchme, inaureis dá mihi
faciúndas pondo dúum numum, stalágmia:
ut té lubenter vídeam, quom ad nos véneris.

ME. fiát. cedo aurum : égo manupretiúm dabo.
AN. da sódes abs te : póst ego reddideró tibi.
ME. imó cedo abs te. égo post tibi reddám duplex.
AN. non hábeo.
ME. at tu, quándo habebis, túm dato.
AN. numquíd vis ?
ME. haec me cúraturum dícito,
ut quántum possint quíque liceant, véneant.

LXI

LYSIMACHUS TRIES TO INDUCE THE COOK TO DEPART

Merc. IV. iv. 1–30 (741–772)

COCUS. LYSIMACHUS. DORIPPA.

CO. Agite, íte actutum : nám mihi amatorí seni
coquéndast cena. atque équidem quom recógito,
nobís coquendast, nón quoi conductí sumus :
nam quí amat quod amat si íd habet, id habet pró cibo :
vidére, amplecti, ósculari, álloqui ;
sed nós confido onústos redituros domum.
ite hác. sed eccum, quí nos conduxít, senex.
LY. ecce aútem perii ; cócus adest !
CO. advénimus.
LY. abí !
CO. quid ? abeam ?
LY. st', abi !
CO. abeámne ?
LY. abi !
CO. non éstis cenatúri ?
LY. iam saturí sumus.
DO. sed . . .
LY. intérii !
DO. quid ais tu ? étiamne haec illí tibi
iussérunt ferri, quós inter iudéx datus's ?
CO. haecíne tuast amíca, quam dudúm mihi
te amáre dixti, cum óbsonabas ?
LY. nón taces ?
CO. satis scítum filum múlieris ! verum hércle anet.
LY. abin díerectus ?
CO. haúd malast.
LY. at tú malu's.

Co. scitam hércle opinor cóncubinam hanc.
Ly. nón abis?
non égo sum, qui te dúdum conduxí.
Co. quid est?
imo hércle tu istic ípsus.
Ly. vae miseró mihi!
Co. nempe úxor rurist túa, quam dudum díxeras
ted ódisse aeque atque ángues.
Ly. egon istúc tibi
dixí?
Co. mihi quidem hercle.
Ly. íta me amabit Iúppiter,
uxór, ut ego illud núnquam dixi.
Do. etiám negas?
palam ístaec fiunt, té me odisse.
Ly. quín nego.
Co. non te ódisse aibat, úxorem verúm suam.
et uxórem suam ruri ésse aiebat.
Ly. haéc east.
quid míhi molestu's?
Co. quía novisse mé negas;
nisi métuis tu istanc?
Ly. sápio: nam mihi únicast.
Co. vin me éxperiri?
Ly. nólo.
Co. mercedém cedo.
Ly. cras pétito: dabitur; núnc abi. heu miseró mihi!
nunc égo verum illud vérbum esse experiór vetus:
aliquíd mali esse própter vicinúm malum.

LXII

A Braggart Captain

Mil. I. i. 52–72 (52–72)

ARTOTROGUS. PYRGOPOLINICES.

Ar. Quid in Cáppadocia, úbi tu quingentós simul,
ni hebés machaera fóret, uno ictu occíderes?
Py. at péditastelli quía erant, sivi víverent.
Ar. quid tíbi ego dicam, quód omnes mortalés sciunt,
Pyrgópolinicem te únum in terra vívere
virtúte et forma et fáctis invictíssumum?

amánt ted omnes múlieres, neque iniúria,
qui sís tam pulcer; vél illae, quae here pállio
me réprehenderunt.
PY. quíd eae dixerúnt tibi?
AR. rogitábant: "hiccine Áchilles est," inquít, "mihi?"—
"imo éius frater," ínquam "est": ibi illarum áltera:
"ergó mecastor púlcher est," inquít mihi,
"et líberalis. víde, caesaries quám decet!
nae illaé sunt fortunátae, quae cum istó cubant!"
PY. itane aíbat tandem?
AR. quaé me ambae obsecráverint,
ut te hódie quasi pompam íllac praeterdúcerem.
PY. nimiaést miseria, púlchrum esse homineém nimis.
AR. molestaé sunt: órant, ambiunt, exóbsecrant,
vidére ut liceat; ád sese arcessí iubent:
ut tuó non liceat óperam dare negótio.

LXIII

A Companion Picture

Poen. II. i. 24–45 (470–491)

ANTAMOENIDES. LYCUS.

AN. Íta, ut occepi dícere,
lenúlle, de illac púgna ptenanthrópica,
qua séxaginta míllia hominum unó die
voláticorum mánibus occidí meis.
LY. voláticorum hóminum?
AN. ita dicó quidem.
LY. an, óbsecro, usquam súnt homines volátici?
AN. fuére; verum ego ínterfeci.
LY. quómodo
potuísti?
AN. dicam. víscum legioní dedi
fundásque; eo praesternébant folia fárferi.
LY. quoi réi?
AN. ad fundas víscus ne adhaerésceret.
LY. perge: óptume hercle péieras. quid póstea?
AN. in fúndas visci indébant grandiculós globos;
eo illós volantis iússi funditárier.
quid múlta verba? quémquem visco offénderant,
tam crébri ad terram áccidebant, quám pira.

ut quísque acciderat, eúm necabam íllico
per cérebrum pinna súa sibi, quasi túrturem.
LY. si hercle ístuc umquam fáctumst, tum me Iúppiter
faciát, ut semper sácruficem, nec umquám litem.
AN. an mi haéc non crédis?
LY. crédo, ut mi aequom est crédier.
age, eámus intro, dum éxta referuntúr.
AN. volo
narráre tibi etiam únam pugnam.
LY. níhil moror.

LXIV

A KNOTTY POINT

Mil. II. ii. 47–65 (200–218)

PERIPLECTOMENUS. PALAESTRIO.

PE. Illuc, sís, vide,
quem ád modum abstitít, severa frónte curas cógitans!
péctus digitis púltat: cor, credo, évocaturúst foras.
écce avortit; nísus laevo in fémine habet laevám manum,
déxtera digitís rationem cómputat, fervít femur
déxterum, ita veheménter icit: quód agat aegre súppetit.
cóncrepuit digitís: laborat. crébro commutát status.
éccere autem cápite nutat! nón placet, quod répperit.
quídquid est, incóctum non exprómet; bene coctúm dabit.
écce autem aedificát: columnam ménto subfulsít suo.
ápage! non placét profecto mi ílla inaedificátio:
nam ós columnatúm poëtae esse índaudivi bárbaro,
quoí bini custódes semper tótis horis áccubant.
eúge, euscheme hercle ástitit, et dúlice et comoédice!
núnquam hodie quiéscet priusquam id quód petit perfécerit.
hábet opinor. áge, si quid agis! vígila! ne somnó stude,
nísi quidem hic agitáre mavis várius virgis vígilias.
tíbi ego dico! an herí maduisti? heus te ádloquor, Palaéstrio.
vígila, inquam! expergíscere, inquam! lúcet hoc, inquam!
PA. aúdio.

LXV

Philematium at her Toilet holds Discourse with her Maid

Most. I. iii. 99–124 (256–281)

PHILOLACHES. PHILEMATIUM. SCAPHA.

Phil. Váh, quid illa pote péius quidquam múliere memorárier?
núnc adsentatrix scelestast; dúdum advorsatrix erat.
Ph. cédo cerussam.
Sc. quíd cerussa opus nám?
Ph. qui malas óblinam.
Sc. úna opera ebur átramento cándefacere póstules.
Phil. lépide dictum de átramento atque ébore! euge, plaudó Scaphae.
Ph. túm tu igitur cedo púrpurissum.
Sc. nón do: scita es tú quidem.
nóva pictura intérpolare vís opus lepidíssumum?
nón istanc aetátem oportet pígmentum ullum attíngere,
néque cerussam, néque melinum, néque aliam ullam offúciam.
cápe igitur speculum.
Phil. heí mihi misero: sávium speculó dedit.
nímis velim lapidém, qui ego illi spéculo diminuám caput.
Sc. línteum cape átque exterge tíbi manus.
Ph. quid ita, óbsecro?
Sc. út speculum tenuísti, metuo, ne óleant argentúm manus:
ne úsquam argentum te áccepisse súspicetur Phílolaches.
Phil. nón videor vidísse lenam cállidiorem ullam álteras.
út lepide atque astúte in mentem vénit de speculó malae!
Ph. étiamne unguentís unguendam cénses?
Sc. minume féceris.
Ph. quápropter?
Sc. quia ecástor mulier récte olet, ubi níhil olet.
nám istae veteres, quaé se unguentis únctitant, intérpoles,
vétulae, edentulae, quae vitia córporis fuco ócculunt,
úbi sese sudór cum unguentis cónsociavit, ílico
ítidem olent, quasi cum úna multa iúra confundít cocus:
quíd oleant, nesciás, nisi id unum, ut nímis olere intéllegas.
Phil. út perdocte cúncta callet! níhil hac docta dóctius!
vérum illud esse, máxuma adeo pars vostrorum intéllegit,
quíbus anus domi súnt uxores, quaé vos dote méruerunt.

LXVI

A Persian's Style and Title

Pers. iv. vi. 15–27 (697–709)

TOXILUS. SAGARISTIO. DORDALUS.

To. Átque edepol tu mé commonuisti haú male:
videor vidisse hic fórma persimilém tui,
eadém statura.
Sa. quíppe qui fratér siet.
Do. quid ést tibi nomen?
To. scíre te quid áttinet?
Do. quid áttinet non scíre?
Sa. ausculta ergo, út scias:
Vaníloquidorus Vírginesvendónides
Nugíphiloloquides Argentumexterebrónides
Quodsémelarripides Númquampostreddónides.
Do. heu hércle nomen múltis modis scriptúmst tuom.
Sa. ita súnt Persarum móres: longa nómina
contórtiplicata habémus. numquid ceterum
voltís?
Do. vale.
Sa. et vos: nam ánimus in navíst meus.
To. cras íres potius, hódie hic cenarés.
Sa. vale.

LXVII

A Master scolds his Servants

Pseud. i. ii. 1–33 (133–165)

BALLIO. SERVOS.

Ba. Éxite! agite, exíte, ignavi, mále habiti, et male cónciliati;
quórum numquam quícquam quoiquam vénit in mentem ut récte faciant.
quíbus nisi ad hoc exémplum experior, nón potest usurpári usura.
néque homines magis ásinos numquam vídi: ita plagis cóstae callent.
quós dum ferias, tíbi plus noceas: éo enim ingenio hi súnt flagritribae:
qui haéc habent cónsilia:

úbi data occásiost, rápe, clepe, tene, hárpaga, es,
bíbe, fuge! hoc eórum opust: út lupos mávelis
ápud ovis línquere, quam hós custodés domi.
at fáciem quom adspiciás eorum, haud máli videntur; ópera fallunt.
núnc adeo hanc edíctionem nísi animum advortétis omnes,
nísi somnum socórdiamque ex péctore oculisque ámovetis:
íta ego vostra látera loris fáciam ut valide vária sint,
út ne peristromáta quidem aeque pícta sint Campánica,
neque Aléxandrina béluata tónsilia tapétia.
atque héri edixeram ómnibus dederámque eas províncias;
verum íta vos estis praéditi callénti ingenio ímprobi,
offícium vostrum ut vós malo cogátis commonérier.
nempe íta animati estís vos: vincitís duritia hoc átque me.
hoc sis víde, ut alias rés agunt. hoc ágite, hoc animum advórtite,
huc ádhibete auris, quae égo loquar, plagígera genera hóminum!
numquam édepol vostrum dúrius tergum érit, quam terginum hóc meum.
quid núnc? doletne? hem, síc datur, si quís erum servos spérnit!
adsístite omnes cóntra me et, quae lóquor, advortite ánimum.
tu, qui úrnam habes, aquam íngere: face plénum aënum sít coco.
te, cúm securi, caúdicali praéficio provínciae.

Lo. at haéc retunsast.

Ba. síne siet. itidém vos estis plágis:
num quí minus ea grátia tamen ómnium opera útor?
tibi hóc praecipio, ut níteant aedes: hábes, quod facias: própera, abi intro.—
tu ésto lectistérniator.—tu árgentum eluito; ídem exstruito.
haéc, quom ego a foró revortor, fácite ut offendám parata:
vórsa sparsa térsa strata laútaque unctaque omnia út sint.
nám mi hodie natális dies est: décet eum omnes vos cóncelebrare.

LXVIII

Trachalio's Mission

Rud. iv. vi. 1–22 (1210–1226)

TRACHALIO. DAEMONES.

Tr. Úbiubi erit, iam invéstigabo, et mécum ad te adducám simul

Pleúsidippum.

Da. elóquere, ut haec res óptigit de fília.
éum rogato, ut línquat alias rés et huc veniát.

Tr. licet.

Da. dícito, datúrum meam illi fíliam uxorém.

Tr. licet.

Da. ét patrem eius mé novisse, et mi ésse cognatúm.

Tr. licet.

Da. séd propera.

Tr. licét.

Da. iam hic fac sit, céna ut curetúr.

Tr. licet.

Da. ómnian licét?

Tr. licet. sed scín, quid est, quod té volo?
quód promisisti, út memineris, hódie ut liber sím.

Da. licet.

Tr. fác, ut exores Pleúsidippum, ut mé manu emittát.

Da. licet.

Tr. ét tua filiá facito oret; fácile exorabít.

Da. licet.

Tr. átque ut mi Ampelísca nubat, úbi ego sim libér.

Da. licet.

Tr. átque ut gratum mí beneficium fáctis experiár.

Da. licet.

Tr. ómnian licét?

Da. licet: tibi rúrsum refero grátiam.
séd propera ire in úrbem actutum, et récipe te huc rursúm.

Tr. licet.

iam híc ero: tu intéribi adorna céterum, quod opússt.

Da. licet.

Hércules istum ínfelicet cúm sua licéntia:
íta meas replévit auris. quídquid memorabám, licet.

LXIX

Auction of a Parasite

Stich. II. i. 53–82 (207–236)

GELASIMUS. CROCOTIUM.

Ge. Dicam aúctionis caúsam, ut damno gaúdeant:
nam cúriosus némo est, quin sit málevolus.

ipse égomet quamobrem aúctionem praédicem,
damna évenerunt máxuma miseró mihi:
ita mé mancupia míserum adfecerúnt male—
potátiones plúrimae demórtuae.
quot ádeo cenae, quás deflevi, mórtuae!
quot pótiones múlsi! quae autem prándia,
quae intér continuum pérdidi triénnium!
prae maérore adeo míser atque aegritúdine
consénui; pene súm famed emórtuos.
CR. ridículus aeque núllus est, quando ésurit.
GE. nunc aúctionem fácere decretúmst mihi:
forás necessumst, quídquid habeo, véndere.
adéste, sultis! praéda erit praeséntium.
logós ridiculos véndo. age, licémini.
qui céna poscit? écqui poscit prándio?
hercle aéstumavi prándio, cená tibi.
ehem, ádnuistin? némo meliorés dabit;
nullí meliores ésse parasitó sinam.
vel iúnctiones graécas sudatórias
vendó, vel alias málacas crapulárias;
cavillátiones; ádsentatiúnculas
ac périeratiúnculas parasíticas;
robíginosam strígilem; ampullam rúbidam;
parasítum inanem, quó recondas réliquias.
haec véniisse iám opus est, quantúm potest:
ut décumam partem Hérculi pollúceam.
CR. ecástor auctiónem haud magní preti!
adhaésit homini ad ínfimum ventrém fames.

LXX

Love an Expensive Luxury

Trin. II. i. 13–44 (235–270)

LYSITELES.

Ómnium primum
Amóris artis éloquar quemadmódum expediant.
númquam Amor quemquam nísi cupidum hominem
póstulat se in plagás conicere·
éos cupit, eos cónsectatur;
súbdole ab re cónsulit,
blandiloquéntulus, harpagó, mendax,

cuppés, avarus, élegans, despóliator,
latébricolarum hominúm corruptor,
inops, celátum indagátor:
nam qui amat quód amat quom éxtemplo
sáviis sagittátis percúlsus est,
ílico rés foras lábitur, líquitur.
"dá mihi hoc, mél meum, sí me amas, si aúdes!"
íbi ille cucúlus: "Océlle mi, fíat!
ét istuc et si ámplius vís dari, dábitur."
íbi illa pendéntem ferit: iam ámplius órat;
nón sat idést mali, ni ámplius étiam,
quód bibit, quód comest, quód facit súmti.
nóx datur: dúcitur fámilia tóta:
véstiplica, unctor, aúri custos, flábelliferae, sándaligerulae,
cántrices, cistéllatrices, núntii, renúntii,
raptóres panis ét peni.
fit ípse, dum illis cómis est, inóps amator.
haec égo quom ago cum meo animo ét recolo,
úbi qui eget, quam préti sit parvi:
apagé te, Amor! non places! níl te utor.
quamquam íllud est dulce, esse ét bibere;
amor amara dát tamen satis quod aégre sit;
fugit fórum, fugat tuos cógnatos,
fugat ípsus se a suo cóntutu;
neque enim éum sibi amicum vólunt dici.
mílle modis, Amor, ígnorandu's,
prócul adhibendu's, ábstandu's:
nám qui in amorem praécipitavit,
péius perit, quam si sáxo saliat.

LXXI

Stasimus takes Himself to Task

Trin. iv. iii. 1–20 (1008–1027)

STASIMUS. CHARMIDES.

St. Stásime, fac te própere celerem! récipe te ad dominúm domum:
né subito metus éxoriatur scápulis stultitiá tua!
ádde gradum! approperá! iamdudum fáctumst, quom abistí domo.

cáve, sis, tibi, ne búbuli in te cóttabi crebrí crepent,
si áberis ab eri quaéstione. né destiteris cúrrere !—
écce hominem te, Stásime, nihili ! sátin in thermopólio
cóndalium es oblítus, postquam thérmopotasti gútturem ?
récipe te et recúrre petere ré recenti !
CH. huic, quísquis est,
gúrguliost exercitór ; is hunc hóminem cursurám docet.
ST. quíd, homo nihili ? nón pudet te ? tríbusne te potériis
mémoriae esse oblítum ? an vero, quía cum frugi hóminibus
íbi bibisti, qui áb alieno fácile cohiberént manus ?
Strúthus fuit, Cercónicus, Crimnus, Cércnobulus, Cóllabus,
collicrepidae, crúricrepidae, férriteri, mastígiae :
ínter eosne hominés condalium té redipisci póstulas,
quórum eorum unus súrrupuit currénti cursorí solum ?
CH. íta me di ament, gráphicum furem !
ST. quíd ego, quod periít, petam,
nísi etiam labórem ad damnum appónam epithecam ínsuper ?
quín tu, quod periít, periisse dúcis ? cape vorsóriam :
récipe te ad herum !
CH. nón fugitivost híc homo : commeminít domi.

LXXII

"THIS IS AFFECTATIONS"

Truc. III. ii. 11–30 (679–698)

ASTAPHIUM. TRUCULENTUS. STRATOPHANES.

AST. Lepidé mecastor núntias. sed díc mihi,
habén ?
ST. marsipum té fortasse dícere.
AST. intéllexisti lépide, quid ego dícerem.
ST. heus tú, iam, postquam in úrbem crebro cómmeo,
dicáx sum factus ; iám sum caullatór probus.
AST. quid id ést, amabo ? istaécce ridiculária,
cavillátiones vís fortasse dícere.
ST. ita ; út pauxillum différant a caúlulis.
AST. sequere íntro, amabo, méa voluptas.
ST. téne hoc tibi ;
rabónem habeto, mécum ut hanc noctém sies.
AST. perií, rabonem ? quam ésse dicam hanc béluam ?

quin tu árrhabonem dícis?
ST. ar fació lucri,
ut Praénestinis cóniast cicónia.
AST. sequere, óbsecro.
ST. Strabácem hic opperiár modo,
si rúri veniat.
AST. ís quidem apud nos ést Strabax.
modo rúre venit.
ST. príusne, quam ad matrém suam?
eu édepol hominem níhili.
AST. iamne autem, út soles?
ST. quian níhili dico?
AST. i íntro, amabo! cédo manum.
ST. tene.—ín tabernam dúcor devorsóriam,
ubi mále accipiar méa mihi pecúnia.

M. TERENTIUS AFER (185–159 B.C.)

LXXIII

A PROLOGUE (*Andria*)

Poëta quom primum ánimum ad scribendum ádpulit,
id síbi negoti crédidit solúm dari,
populo út placerent quás fecisset fábulas.
verum áliter evenire multo intéllegit:
nam in prólogis scribúndis operam abútitur,
non qui árgumentum nárret, sed qui málivoli
veteris poëtae máledictis respóndeat.
nunc, quám rem uitio dent, quaeso animum atténdite.
Menánder fecit Andriam et Perínthiam.
qui utrámvis recte nórit, ambas nóverit,
ita nón dissimili súnt argumento, ét tamen
dissímili oratióne sunt factae ác stilo.
quae cónvenere, in Andriam ex Perínthia
fatétur transtulísse atque usum pró suis.
id istí vituperant fáctum atque in eo dísputant
contáminari nón decere fábulas.
faciúntne intellegéndo, ut nihil intéllegant?
qui quom húnc accusant, Naévium Plautum Énnium
accúsant, quos hic nóster auctorés habet,
quorum aémulari exóptat neclegéntiam

potiús quam istorum obscúram diligéntiam.
dehinc út quiescant pórro moneo et désinant
maledícere, ut malefácta ne noscánt sua.
favéte, adeste aequo ánimo et rem cognóscite,
ut pérnoscatis, écquid spei sit rélicuom,
posthác quas faciet de íntegro comoédias,
spectándae an exigéndae sint vobís prius.

LXXIV

A Funeral

Andr. I. i. 78–109 (104–136)

SIMO. SOSIA.

Si. Ferme ín diebus paúcis, quibus haec ácta sunt,
Chrysís vicina haec móritur.
So. oh, factúm bene!
beásti: metui a Chrýside.
Si. ibi tum fílius
cum illís, qui amarant Chrýsidem, una aderát frequens.
curábat una fúnus: tristis ínterim,
non númquam conlacrumábat. placuit tum íd mihi.
sic cógitabam "hic párvae consuetúdinis
causa húius mortem tám fert familiáriter:
quid si ípse amasset? quíd hic mihi faciét patri?"
haec égo putabam esse ómnia humani íngeni
mansuétique animi officia. quid multís moror?
egomét quoque eius caúsa in funus pródeo,
nil étiam suspicáns mali.
So. hem, quid id ést?
Si. scies.
ecfértur intus. ínterea inter múlieres,
quae ibi áderant, forte unam áspicio adulescéntulam,
formá
So. bona fortásse?
Si. et voltu, Sósia,
adeó modesto, adeó venusto, ut níl supra.
quae túm mihi lamentári praeter céteras
visást, et quia erat fórma praeter céteras
honésta ac liberáli, accedo ad pédisequas,
quae sít rogo. sorórem esse aïunt Chrýsidis.

percússit ilico ánimum. attat hoc íllud est,
hinc íllae lacrumae, haec íllast misericórdia.
So. quam tímeo, quorsum evádas!
Si. funus ínterim
procédit. sequimur; ád sepulcrum vénimus;
in ignem inpositast; flétur. interea haéc soror,
quam díxi, ad flammam accéssit inprudéntius,
satis cúm periclo. ibi tum éxanimatus Pámphilus
bene díssimulatum amórem et celatum índicat:
adcúrrit, mediam múlierem compléctitur.
"mea Glýcerium" inquit "quíd agis? quor te is pérditum?"
tum illa, út consuetum fácile amorem cérneres,
reiécit se in eum fléns quam familiáriter!

LXXV

Advice to a Jealous Lover

Eun. III. i. 44–63 (434–453)

THRASO. GNATHO.

Th. Sed heús tu, purgon égo me de istac Thaïdi,
quod eám me amare súspicatast?
Gn. níl minus.
immo aúge magis suspícionem.
Th. quór?
Gn. rogas?
scin, síquando illa méntionem Phaédriae
facit aút si laudat, te út male urat?
Th. séntio.
Gn. id út ne fiat, haéc res solast rémedio.
ubi nóminabit Phaédriam, tu Pámphilam
contínuo. siquandoílla dicet "Phaédriam
intró mittamus cómissatum," Pámphilam
cantátum provocémus. si laudábit haec
illíus formam, tu húius contra. dénique
par pró pari referto, quod eam mórdeat.
Th. siquidém me amaret, túm istuc prodessét, Gnatho.
Gn. quando íllud quod tu dás exspectat átque amat,
iam dúdum te amat: iám dudum illi fácile fit
quod dóleat: metuit sémper, quem ipsa núnc capit
fructúm, nequando irátus tu alio cónferas.

Th. bene díxti : at mihi istuc nón in mentem vénerat.
Gn. ridículum : non enim cógitaras ; céterum
idem hoc túte melius quánto invenissés, Thraso !

LXXVI

A Pococurante

Haut. I. i. 23–40 (75–92)

MENEDEMUS. CHREMES.

Me. Chremés, tantumne ab ré tuast otí tibi, 75
aliéna ut cures, éa quae nihil ad te áttinent ?
Ch. homó sum : humani níhil a me alienúm puto.
vel mé monere hoc vél percontarí puta :
rectúmst, ego ut faciam ; nón est, te ut detérream.
Me. mihi síc est usus ; tíbi ut opus factóst, face. 80
Ch. an quoíquamst usus hómini, ut se cruciét ?
Me. mihi.
Ch. siquíd laborist, nóllem : sed quid istúc malist ?
quaesó, quid de te tántum commeruísti ?
Me. eheu !
Ch. ne lácruma, atque istuc, quídquid est, fac me út sciam :
ne rétice, ne verére, crede inquám mihi : 85
aut cónsolando aut cónsilio aut re iúvero.
Me. scire hóc vis ?
Ch. hac quidem caúsa qua dixí tibi.
Me. dicétur.
Ch. at istos rástros intereá tamen
adpóne, ne labóra.
Me. minume.
Ch. quám rem agis !
Me. sine mé, vocivom témpus nequod dém mihi 90
labóris.
Ch. non sinam, ínquam.
Me. ah, non aequóm facis.
Ch. hui ! tám gravis hos, quaéso ?
Me. sic meritúmst meum.

LXXVII

Visit of Syrus to Antiphila

Haut. II. iii. 33-66 (274-307)

SYRUS. CLINIA. CLITIPHO.

Sy. Iam primum ómnium,
ubi véntum ad aedis ést, Dromo pultát fores.
anus quaédam prodit. haéc ubi aperit óstium,
contínuo hic se intro cónicit, ego cónsequor;
anus fóribus obdit péssulum, ad lanám redit.
hic scíri potuit aút nusquam alibi, Clínia,
quo stúdio vitam suám te absente exégerit,
ubi de ínprovisost ínterventum múlieri.
nam ea rés tum dedit exístumandi cópiam
cottídianae vítae consuetúdinem,
quae quoíusque ingenium ut sít declarat máxume.
texéntem telam stúdiose ipsam offéndimus,
medíocriter vestítam veste lúgubri
(eius ánuis causa opínor quae erat mórtua)
sine aúro: tum ornatam íta uti quae ornantúr sibi:
nulla árte malas éxpolitam múliebri;
capíllus passus prólixe et circúm caput
reiéctus neclegénter, pax.

Cln. Syre mi, óbsecro,
ne me ín laetitiam frústra coniciás.

Sy. anus
subtémen nebat. praéterea una ancíllula
erat; éa texebat úna, pannis óbsita,
neclécta, inmunda inlúvie.

Clt. si haec sunt, Clínia,
vera, íta uti credo, quís te est fortunátior!
scin tu? hánc quam dicit sórdidatam et sórdidam,
magnum hóc quoque signumst, dóminam esse extra nóxiam,
eius quóm tam neclegúntur internúntii.
nam dísciplinast prímum munerárier
ancíllas eis ad dóminas qui adfectánt viam.

Cln. perge, óbsecro te, et cáve ne falsam grátiam
studeás inire. quíd aït, ubi me nóminas?

Sy. ubi dícimus redísse te et oráre uti
veníret ad te, múlier telam désinit
contínuo et lacrumis ópplet os totúm sibi,
ut fácile scires désiderio id fíeri.

LXXVIII

Phormio and Geta concert Measures

Phorm. II. ii. 1–33 (315–346)

PHORMIO. GETA.

Ph. Ítane patris áïs adventum véritum hinc abiisse?
Ge. ádmodum.
Ph. Phánium relíctam solam?
Ge. síc.
Ph. et iratúm senem?
Ge. óppido.
Ph. ad te sólum summa, Phórmio, rerúm redit: túte hoc intristí: tibi omnest éxedendum: adcíngere.
Ge. óbsecro te.
Ph. si rogabit . .
Ge. ín te spes est.
Ph. éccere, quíd si reddet?
Ge. tu ínpulisti.
Ph. síc, opinor.
Ge. súbveni.
Ph. cédo senem: iam instrúcta sunt mi in córde consilia ómnia.
Ge. quíd ages?
Ph. quid vis, nísi uti maneat Phánium atque ex crímine hoc
Ántiphonem erípiam atque in me omnem íram derivém senis?
Ge. óh, vir fortis átque amicus. vérum hoc saepe, Phórmio, véreor, ne istaec fórtitudo in nérvom erumpat dénique.
Ph. ah, nón itast: factúmst periclum, iám pedum visást via.
quót me censes hómines iam devérberasse usque ád necem?
cédo dum, enumquam iniúriarum audísti mihi scriptám dicam?
Ge. quí istuc?
Ph. quia non réte accipitri ténnitur neque míluo,
quí male faciunt nóbis; illis quí nil faciunt ténnitur,
quía enim in illis frúctus est, in íllis opera lúditur.
áliis aliunde ést periclum, unde áliquid abradí potest:
míhi sciunt nihil ésse. dices "dúcent damnatúm domum"?
álere nolunt hóminem edacem, et sápiunt mea sententia,
pró maleficio sí beneficium súmmum nolunt réddere.

GE. nón pote satis pro mérito ab illo tíbi referri grátia.
PH. ímmo enim nemo sátis pro merito grátiam regí refert.
tén asymbolúm venire unctum átque lautum e bálineis,
ótiosum ab ánimo, quom ille et cúra et sumptu absúmitur!
dúm tibi fit quod pláceat, ille ríngitur; tu rídeas,
príor bibas, priór decumbas; céna dubia adpónitur . .
GE. quíd istuc verbist?
PH. úbi tu dubites quíd sumas potíssumum.
haéc quom rationem íneas quam sint suávia et quam cára sint,
éa qui praebet, nón tu hunc habeas pláne praesentém deum?
GE. sénex adest: vide quíd agas: prima cóitiost acérruma:
si eám sustinuerís, postilla iam, út lubet, ludás licet.

LXXIX

"A HARD WAY TO HIT"

Adelph. IV. ii. 32–52 (571–591)

SYRUS. DEMEA.

SY. At nomen néscio
íllius hominis, séd locum novi úbi sit.
DE. dic ergó locum.
SY. nóstin porticum ápud macellum hac deórsum?
DE. quid ni nóverim?
SY. praéterito récta platea súrsum hanc: ubi eo véneris,
clívos deorsum vórsum est: istac praécipitato; póstea
ést ad hanc manúm sacellum: ibi ángiportum própter est,
DE. quánam?
SY. illi ubi etiám caprificus mágna est.
DE. novi.
SY. hac pérgito.
DE. íd quidem angipórtum non est pérvium.
SY. verum hércle: vah,
cénsen hominem me ésse? erravi: in pórticum rursúm redi:
sáne hac multo própius ibis ét minor est errátio.
scín Cratini huius dítis aedes?
DE. scío.
SY. ubi eas praetérieris,
ád sinistram hac récta platea; ubi ád Dianae véneris,
íto ad dextram: príus quam ad portam vénias, apud ipsúm lacum
ést pistrilla, et éxadvorsum fábrica: ibist.
DE. quid íbi facit?

Sy. léctulos illí salignis pédibus faciundós dedit.
De. úbi potetis vós? bene sane. séd cesso ad eum pérgere.—
Sy. í sane: ego te exércebo hodie, ut dignus es, silicérnium.
Aéschinus otióse cessat; prándium corrúmpitur;
Ctésipho autem in amórest totus. égo iam prospiciám mihi:
nám iam abibo atque únum quidquid, quód quidem erit bellíssumum,
cárpam et cyathos sórbilans paulátim hunc producám diem.

LXXX

The Stage and the Amphitheatre

Hecyra, prol. 21–40

Hecyram ád vos refero, quám mihi per siléntium
numquam ágere licitumst: íta eam oppressit cálamitas.
eam cálamitatem vóstra intellegéntia
sedábit, si erit adiútrix nostrae indústriae.
quom prímum eam agere coépi, pugilum glória,
comitúm conventus, strépitus, clamor múlierum
fecére ut ante témpus exirém foras.
vetere ín nova coepi úti consuetúdine,
in éxperiundo ut éssem: refero dénuo.
primo áctu placeo: quom ínterea rumór venit
datum íri gladiatóres, populus cónvolat,
tumúltuantur clámant pugnant dé loco;
ego intérea meum non pótui tutarí locum.
nunc túrba non est: ótium et siléntiumst:
agéndi tempus míhi datumst: vobís datur
potéstas condecorándi ludos scaénicos.
nolíte sinere pér vos artem músicam
recídere ad paucos: fácite ut vostra auctóritas
meae auctóritati faútrix adiutríxque sit.

T. LUCRETIUS CARUS (100?–55 B.C.)

LXXXI

Revolt against Superstition

I. 62–79

Humana ante oculos foede cum vita iaceret
in terris oppressa gravi sub religione,

quae caput a caeli regionibus ostendebat
horribili super aspectu mortalibus instans,
primum Graius homo mortalis tollere contra
est oculos ausus primusque obsistere contra;
quem neque fama deum nec fulmina nec minitanti
murmure compressit caelum, sed eo magis acrem
inritat animi virtutem, effringere ut arta
naturae primus portarum claustra cupiret.
ergo vivida vis animi pervicit, et extra
processit longe flammantia moenia mundi
atque omne immensum peragravit mente animoque;
unde refert nobis victor quid possit oriri,
quid nequeat, finita potestas denique cuique
quanam sit ratione atque alte terminus haerens.
quare religio pedibus subiecta vicissim
opteritur, nos exaequat victoria caelo.

LXXXII

Nothing but Space and Matter

I. 449–482

Nam quae cumque cluent, aut his coniuncta duabus
rebus ea invenies aut harum eventa videbis.
coniunctum est id quod nusquam sine perniciali
discidio potis est seiungi seque gregari;
pondus uti saxis, calor igni, liquor aquai,
tactus corporibus cunctis, intactus inani.
servitium contra, paupertas, divitiaeque,
libertas, bellum, concordia, cetera quorum
adventu manet incolumis natura abituque,
haec soliti sumus, ut par est, eventa vocare.
tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis
consequitur sensus, transactum quid sit in aevo,
tum quae res instet, quid porro deinde sequatur:
nec per se quemquam tempus sentire fatendumst
semotum ab rerum motu placidaque quiete.
denique Tyndaridem raptam belloque subactas
Troiugenas gentis cum dicunt esse videndumst
ne forte haec per se cogant nos esse fateri,
quando ea saecla hominum, quorum haec eventa fuerunt,
inrevocabilis abstulerit iam praeterita aetas:

namque aliud saeclis, aliud regionibus ipsis
eventum dici poterit quodcumque erit actum.
denique materies si rerum nulla fuisset,
nec locus ac spatium, res in quo quaeque geruntur,
numquam Tyndaridis forma conflatus amoris
ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens
clara accendisset saevi certamina belli,
nec clam durateus Troianis Pergama partu
inflammasset ecus nocturno Graiugenarum ;
perspicere ut possis res gestas funditus omnis
non ita uti corpus per se constare neque esse
nec ratione cluere eadem qua constet inane,
sed magis ut merito possis eventa vocare
corporis, atque loci, res in quo quaeque gerantur.

LXXXIII

'Man wants but little here below'

II. 20–61

Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
esse opus omnino, quae demant cumque dolorem,
delicias quoque uti multas substernere possint.
gratius interdum neque natura ipsa requirit,
si non aurea sunt iuvenum simulacra per aedis
lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
lumina nocturnis epulis ut suppeditentur,
nec domus argento fulgenti auroque renidet,
nec citharae reboant laqueata auratague tecta,
cum tamen inter se prostrati in gramine molli
propter aquae rivum sub ramis arboris altae
non magnis opibus iucunde corpora curant,
praesertim cum tempestas adridet et anni
tempora conspergunt viridantis floribus herbas.
nec calidae citius decedunt corpore febres,
textilibus si in picturis ostroque rubenti
iacteris, quam si in plebeia veste cubandumst.
quapropter quoniam nil nostro in corpore gazae
proficiunt neque nobilitas nec gloria regni,
quod superest, animo quoque nil prodesse putandum :
concretam exemit labem purumque relinquit
aetherium sensum atque aurai simplicis ignem.
has omnis, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethaeum ad fluvium deus evocat agmine magno,
scilicet immemores super ut convexa revisant
rursus et incipiant in corpora velle reverti.

CXIX

Imperial Rome

Aen. VI. 847–853

Excudent alii spirantia mollius aera
(credo equidem), et vivos ducent de marmore voltus,
orabunt causas melius, caelique meatus

describent radio et surgentia sidera dicent :
tu regere imperio populos, Romane, memento
(haec tibi erunt artes) pacisque imponere morem,
parcere subiectis et debellare superbos.

CXX

Camilla

Aen. VII. 803–817

Hos super advenit Volsca de gente Camilla
agmen agens equitum et florentis aere catervas,
bellatrix, non illa colo calathisve Minervae
femineas adsueta manus, sed proelia virgo
dura pati cursuque pedum praevertere ventos.
illa vel intactae segetis per summa volaret
gramina nec teneras cursu laesisset aristas,
vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
ferret iter celeris nec tingueret aequore plantas.
illam omnis tectis agrisque effusa iuventus
turbaque miratur matrum et prospectat euntem,
attonitis inhians animis, ut regius ostro
velet honos levis umeros, ut fibula crinem
auro internectat, Lyciam ut gerat ipsa pharetram
et pastoralem praefixa cuspide myrtum.

CXXI

Death of Nisus and Euryalus

Aen. IX. 410–449

Dixerat, et toto conixus corpore ferrum
conicit : hasta volans noctis diverberat umbras
et venit adversi in tergum Sulmonis ibique
frangitur ac fisso transit praecordia ligno.
volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
frigidus et longis singultibus ilia pulsat.
diversi circumspiciunt. hoc acrior idem
ecce aliud summa telum librabat ab aure.
dum trepidant, it hasta Tago per tempus utrumque
stridens traiectoque haesit tepefacta cerebro.
saevit atrox Volcens nec teli conspicit usquam

auctorem nec quo se ardens immittere possit.
'tu tamen interea calido mihi sanguine poenas
persolves amborum' inquit; simul ense recluso
ibat in Euryalum. tum vero exterritus, amens
conclamat Nisus, nec se celare tenebris
amplius aut tantum potuit perferre dolorem.
'me me (adsum qui feci), in me convertite ferrum,
o Rutuli! mea fraus omnis; nihil iste nec ausus
nec potuit (caelum hoc et conscia sidera testor),
tantum infelicem nimium dilexit amicum.'
talia dicta dabat; sed viribus ensis adactus
transabiit costas et candida pectora rumpit.
volvitur Euryalus leto, pulchrosque per artus
it cruor, inque umeros cervix conlapsa recumbit:
purpureus veluti cum flos succisus aratro
languescit moriens lassove papavera collo
demisere caput, pluvia cum forte gravantur.
at Nisus ruit in medios solumque per omnis
Volcentem petit, in solo Volcente moratur.
quem circum glomerati hostes hinc comminus atque hinc
proturbant. instat non setius ac rotat ensem
fulmineum, donec Rutuli clamantis in ore
condidit advorso et moriens animam abstulit hosti.
tum super exanimum sese proiecit amicum
confossus placidaque ibi demum morte quievit.
fortunati ambo! siquid mea carmina possunt,
nulla dies umquam memori vos eximet aevo,
dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum
accolet imperiumque pater Romanus habebit.

CXXII

Numanus inveighs against the Trojans

Aen. ix. 598–620

'Non pudet obsidione iterum valloque teneri,
bis capti Phryges, et morti praetendere muros?
en qui nostra sibi bello conubia poscunt!
quis deus Italiam, quae vos dementia adegit?
non hic Atridae nec fandi fictor Ulixes:
durum a stirpe genus natos ad flumina primum
deferimus saevoque gelu duramus et undis,

venatu invigilant pueri silvasque fatigant,
flectere ludus equos et spicula tendere cornu.
at patiens operum parvoque adsueta iuventus
aut rastris terram domat aut quatit oppida bello.
omne aevum ferro teritur, versaque iuvencum
terga fatigamus hasta ; nec tarda senectus
debilitat viris animi mutatque vigorem :
canitiem galea premimus, semperque recentis
comportare iuvat praedas et vivere rapto.
vobis picta croco et fulgenti murice vestis,
desidiae cordi, iuvat indulgere choreis,
et tunicae manicas et habent redimicula mitrae.
o vere Phrygiae (neque enim Phryges), ite per alta
Dindyma, ubi adsuetis biforem dat tibia cantum !
tympana vos buxusque vocat Berecyntia Matris
Idaeae : sinite arma viris et cedite ferro.'

CXXIII

Lament of Evander over his Son

Aen. xi. 152–181

'Non haec, o Palla, dederas promissa parenti,
cautius ut saevo velles te credere Marti :
haut ignarus eram, quantum nova gloria in armis
et praedulce decus primo certamine posset.
primitiae iuvenis miserae bellique propinqui
dura rudimenta et nulli exaudita deorum
vota precesque meae ! tuque, o sanctissima coniunx,
felix morte tua neque in hunc servata dolorem !
contra ego vivendo vici mea fata, superstes
restarem ut genitor. Troum socia arma secutum
obruerent Rutuli telis ! animam ipse dedissem
atque haec pompa domum me, non Pallanta, referret !
nec vos arguerim, Teucri, nec foedera nec quas
iunximus hospitio dextras : sors ista senectae
debita erat nostrae. quod si immatura manebat
mors gnatum, caesis Volscorum milibus ante
ducentem in Latium Teucros cecidisse iuvabit.
quin ego non alio digner te funere, Palla,
quam pius Aeneas et quam magni Phryges et quam
Tyrrhenique duces, Tyrrhenum exercitus omnis.

magna tropaea ferunt quos dat tua dextera leto :
tu quoque nunc stares immanis truncus in armis,
esset par aetas et idem si robur ab annis,
Turne. sed infelix Teucros quid demoror armis ?
vadite et haec memores regi mandata referte :
quod vitam moror invisam Pallante perempto,
dextera causa tuast, Turnum gnatoque patrique
quam debere vides. meritis vacat hic tibi solus
fortunaeque locus. non vitae gaudia quaero
(nec fas), sed gnato manis perferre sub imos.'

CXXIV

The Combat between Aeneas and Turnus

Aen. xii. 715–757

Ac velut ingenti Sila summove Taburno
cum duo conversis inimica in proelia tauri
frontibus incurrunt (pavidi cessere magistri,
stat pecus omne metu mutum mussantque iuvencae,
quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur) ;
illi inter sese multa vi volnera miscent
cornuaque obnixi infigunt et sanguine largo
colla armosque lavant ; gemitu nemus omne remugit :
non aliter Tros Aeneas et Daunius heros
concurrunt clipeis ; ingens fragor aethera complet.
Iuppiter ipse duas aequato examine lances
sustinet et fata imponit diversa duorum,
quem damnet labor et quo vergat pondere letum.
emicat hic, impune putans, et corpore toto
alte sublatum consurgit Turnus in ensem
et ferit : exclamant Troës trepidique Latini,
arrectaeque amborum acies. at perfidus ensis
frangitur in medioque ardentem deserit ictu . . .
ni fuga subsidio subeat. fugit ocior euro,
ut capulum ignotum dextramque aspexit inermem.
fama est praecipitem, cum prima in proelia iunctos
conscendebat equos, patrio mucrone relicto,
dum trepidat, ferrum aurigae rapuisse Metisci.
idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
suffecit : postquam arma dei ad Volcania ventumst,
mortalis mucro glacies ceu futilis ictu

dissiluit ; fulva resplendent fragmina harena.
ergo amens diversa fuga petit aequora Turnus
et nunc huc, inde huc incertos implicat orbis ;
undique enim densa Teucri inclusere corona,
atque hinc vasta palus, hinc ardua moenia cingunt.
nec minus Aeneas, quamquam tardata sagitta
interdum genua impediunt cursumque recusant,
insequitur trepidique pedem pede fervidus urget :
inclusum veluti siquando flumine nanctus
cervum aut puniceae saeptum formidine pinnae
venator cursu canis et latratibus instat ;
ille autem, insidiis et ripa territus alta,
mille fugit refugitque vias ; at vividus Umber
haeret hians, iam iamque tenet similisque tenenti
increpuit malis morsuque elusus inanist.
tum vero exoritur clamor, ripaeque lacusque
responsant circa et caelum tonat omne tumultu.

CXXV

The Shepherd's Tribute to the Gnat which had saved him from the Snake and perished itself

Pseudo-Virgil, *Culex* 385–414

Hunc ubi sollicitum dimisit inertia vitae,
interius graviter regementem (nec tulit ultra
sensibus infusum culicis de morte dolorem) :
quantumcumque sibi vires tribuere seniles
(quis tamen infestum pugnans devicerat hostem),
rivum propter aquae viridi sub fronde latentem
conformare locum capit impiger, hunc et in orbem
destinat, ac ferri capulum repetivit in usum,
gramineam ut viridi foderet de caespite terram :
iam memor inceptum peragens sibi cura laborem
congestum cumulavit opus, atque aggere multo
telluris tumulus formatum crevit in orbem.
quem circum lapidem levi de marmore formans
conserit, adsiduae curae memor. hic et acanthus
et rosa purpureum crescens pudibunda ruborem
et violae genus omne, hic est et Spartica myrtus
atque hyacinthus et hic Cilici crocus editus arvo,
laurus item Phoebi surgens decus, hic rhododaphne

liliaque et roris non avia cura marini
herbaque turis opes priscis imitata Sabina
chrysanthusque hederaeque nitor pallente corymbo
et bocchus Libyae regis memor ; hic amarantus
bumastusque virens et semper florida tinus ;
non illinc narcissus abest, cui gloria formae
igne Cupidineo proprios exarsit in artus ;
et quoscumque novant vernantia tempora flores,
his tumulus super inseritur. tum fronte locatur
elogium, tacita format quod littera voce :
'parve culex, pecudum custos tibi tale merenti
funeris officium vitae pro munere reddit.'

CXXVI

Mine Hostess

Pseudo-Virgil, *Copa* 1–38

Copa Surisca, caput Graia redimita mitella,
crispum sub crotalo docta movere latus,
ebria fumosa saltat lasciva taberna,
ad cubitum raucos excutiens calamos :
'quid iuvat aestivo defessum pulvere abisse,
quam potius bibulo decubuisse toro ?
sunt topia et kalybae, cyathi, rosa, tibia, chordae
et triclia umbrosis frigida harundinibus.
en et Maenalio quae garrit dulce sub antro
rustica pastoris fistula more sonat.
est et vappa cado nuper defusa picato,
est crepitans rauco murmure rivus aquae.
sunt et Cecropio violae de flore corollae
sertaque purpurea lutea mixta rosa ;
et quae virgineo libata Achelois ab amne
lilia vimineis adtulit in calathis.
sunt et caseoli quos iuncea fiscina siccat,
sunt autumnali cerea pruna die ;
Castaneaeque nuces et suave rubentia mala :
est hic munda Ceres, est Amor, est Bromius.
sunt et mora cruenta, et lentis uva racemis,
et pendet iunco caeruleus cucumis.
est tuguri custos, armatus falce saligna,
sed non et vasto est inguine terribilis.

huic calybita veni ; lassus iam sudat asellus ;
parce illi, Vestae delicium est asinus.
nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadae,
nunc varia in gelida sede lacerta latet.
si sapis, aestivo recubans nunc prolue vitro
seu vis crystallo ferre novos calices.
hic age pampinea fessus requiesce sub umbra
et gravidum roseo necte caput strophio,
formosum tenerae decerpens ora puellae.
a, pereat cui sunt prisca supercilia !
quid cineri ingrato servas bene olentia serta ?
anne coronato vis lapide ossa tegi ?
pone merum et talos. pereat qui crastina curat !
mors aurem vellens 'vivite,' ait 'venio.'

CXXVII

A Salad

Pseudo-Virgil, *Moretum* 87–124

Tunc quoque tale aliquid meditans intraverat hortum.
ac primum, leviter digitis tellure refossa,
quattuor educit cum spissis alia fibris ;
inde comas apii gracilis rutamque rigentem
vellit et exiguo coriandra trementia filo.
haec ubi conlegit, laetum consedit ad ignem
et clara famulam poscit mortaria voce.
singula tum capitum nodoso cortice nudat
et summis spoliat coriis contemptaque passim
spargit humi atque abicit. servatum in germine bulbum
tinguit aqua lapidisque cavum dimittit in orbem.
his salis inspergit micas, sale durus adeso
caseus adicitur, dictas super ingerit herbas,
et laeva vestem saetosa sub inguina fulcit ;
dextera pistillo primum fragrantia mollit
alia, tum pariter mixto terit omnia suco.
it manus in gyrum : paulatim singula viris
deperdunt proprias ; color est e pluribus unus,
nec totus viridis, quia lactea frusta repugnant,
nec de lacte niteus, quia tot variatur ab herbis.
saepe viri naris acer iaculatur apertas
spiritus et simo damnat sua prandia vultu ;

saepe manu summa lacrimantia lumina tergit
inmeritoque furens dicit convicia fumo.
procedebat opus: non iam salebrosus, ut ante,
sed gravior lentos ibat pistillus in orbis.
ergo Palladii guttas instillat olivi
exiguique super viris infundit aceti
atque iterum commiscet opus mixtumque retractat.
tum demum digitis mortaria tota duobus
circuit inque globum distantia contrahit unum,
constet ut effecti species nomenque moreti.
eruit interea Scybale quoque sedula panem,
quem lautis recipit manibus, pulsoque timore
iam famis inque diem securus Simylus illam
ambit crura ocreis paribus tectusque galero
sub iuga parentis cogit lorata iuvencos
atque agit in segetes et terrae condit aratrum.

Q. HORATIUS FLACCUS (65–8 B.C.)

CXXVIII

Spring Thoughts

Carm. I. 4

Solvitur acris hiemps grata vice veris et Favoni,
trahuntque siccas machinae carinas,
ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni,
nec prata canis albicant pruinis.

iam Cytherea choros ducit Venus imminente luna,
iunctaeque Nymphis Gratiae decentes
alterno terram quatiunt pede, dum gravis Cyclopum
Volcanus ardens urit officinas.

nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto
aut flore, terrae quem ferunt solutae;
nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
seu poscat agna sive malit haedo.

pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
regumque turris. o beate Sesti,

vitae summa brevis spem nos vetat incohare longam.
iam te premet nox fabulaeque Manes

et domus exilis Plutonia ; quo simul mearis,
nec regna vini sortiere talis,
nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus
nunc omnis et mox virgines tepebunt.

CXXIX

Winter Thoughts

Carm. I. 9

Vides ut alta stet nive candidum
Soracte, nec iam sustineant onus
silvae laborantes, geluque
flumina constiterint acuto.

dissolve frigus ligna super foco
large reponens atque benignius
deprome quadrimum Sabina,
o Thaliarche, merum diota.

permitte divis cetera, qui simul
stravere ventos aequore fervido
deproeliantis, nec cupressi
nec veteres agitantur orni.

quid sit futurum cras, fuge quaerere et
quem Fors dierum cumque dabit, lucro
adpone nec dulcis amores
sperne, puer, neque tu choreas,

donec virenti canities abest
morosa. nunc et campus et areae
lenesque sub noctem susurri
conposita repetantur hora,

nunc et latentis proditor intimo
gratus puellae risus ab angulo
pignusque dereptum lacertis
aut digito male pertinaci.

CXXX

'A Thing of Moods and Fancies is a Woman'

Carm. I. 5

Quis multa gracilis te puer in rosa
perfusus liquidis urget odoribus
grato, Pyrrha, sub antro?
cui flavam religas comam,

simplex munditiis? heu quotiens fidem
mutatosque deos flebit et aspera
nigris aequora ventis
emirabitur insolens,

qui nunc te fruitur credulus aurea,
qui semper vacuam, semper amabilem
sperat, nescius aurae
fallacis. miseri, quibus

intemptata nites. me tabula sacer
votiva paries indicat uvida
suspendisse potenti
vestimenta maris deo.

CXXXI

Contentment

Carm. II. 18

Non ebur neque aureum
mea renidet in domo lacunar,
non trabes Hymettiae
premunt columnas ultima recisas

Africa, neque Attali
ignotus heres regiam occupavi,
nec Laconicas mihi
trahunt honestae purpuras clientae.

at fides et ingeni
benigna venast, pauperemque dives
me petit: nihil supra
deos lacesso nec potentem amicum

largiora flagito,
satis beatus unicis Sabinis.
truditur dies die,
novaeque pergunt interire lunae.

tu secanda marmora
locas sub ipsum funus et sepulcri
inmemor struis domos,
marisque Bais obstrepentis urges

submovere litora,
parum locuples continente ripa.
quid quod usque proximos
revellis agri terminos et ultra

limites clientium
salis avarus? pellitur paternos
in sinu ferens deos
et uxor et vir sordidosque natos.

nulla certior tamen
rapacis Orci fine destinata
aula divitem manet
erum. quid ultra tendis? aequa tellus

pauperi recluditur
regumque pueris, nec satelles Orci
callidum Promethea
revexit auro captus. hic superbum

Tantalum atque Tantali
genus coercet, hic levare functum
pauperem laboribus
vocatus atque non vocatus audit.

CXXXII

The Choice of Regulus

Carm. III. 5. 13–56

Hoc caverat mens provida Reguli
dissentientis condicionibus
foedis et exemplo trahenti
perniciem veniens in aevum,

si non perires inmiserabilis,
captiva pubes. 'signa ego Punicis
adfixa delubris et arma
militibus sine caede' dixit

'derepta vidi, vidi ego civium
retorta tergo bracchia libero
portasque non clausas et arva
Marte coli populata nostro.

auro repensus scilicet acrior
miles redibit. flagitio additis
damnum: neque amissos colores
lana refert medicata fuco,

nec vera virtus, cum semel excidit,
curat reponi deterioribus.
si pugnat extricata densis
cerva plagis, erit ille fortis,

qui perfidis se credidit hostibus,
et Marte Poenos proteret altero,
qui lora restrictis lacertis
sensit iners timuitque mortem.

hic, unde vitam sumeret inscius,
pacem duello miscuit. o pudor!
o magna Carthago, probrosis
altior Italiae ruinis!'

fertur pudicae coniugis osculum
parvosque natos ut capitis minor
ab se removisse et virilem
torvus humi posuisse voltum,

donec labantis consilio patres
firmaret auctor numquam alias dato,
interque maerentis amicos
egregius properaret exsul.

atqui sciebat quae sibi barbarus
tortor pararet. non aliter tamen
dimovit obstantis propinquos
et populum reditus morantem,

quam si clientum longa negotia
diiudicata lite relinqueret,
tendens Venafranos in agros
aut Lacedaemonium Tarentum.

CXXXIII

The Daughters of Danaus

Carm. III. 11. 25–52

Audiat Lyde scelus atque notas
virginum poenas et inane lymphae
dolium fundo pereuntis imo
seraque fata,

quae manent culpas etiam sub Orco.
inpiae, (nam quid potuere maius?)
inpiae sponsos potuere duro
perdere ferro.

una de multis face nuptiali
digna periurum fuit in parentem
splendide mendax et in omne virgo
nobilis aevum,

'surge' quae dixit iuveni marito,
'surge, ne longus tibi somnus, unde
non times, detur; socerum et scelestas
falle sorores,

quae, velut nactae vitulos leaenae,
singulos eheu lacerant: ego illis
mollior nec te feriam neque intra
claustra tenebo.

me pater saevis oneret catenis,
quod viro clemens misero peperci;
me vel extremos Numidarum in agros
classe releget.

i, pedes quo te rapiunt et aurae,
dum favet Nox et Venus; i secundo
omine, et nostri memorem sepulcro
scalpe querellam.'

CXXXIV

The Degeneracy of the Age

Carm. III. 24. 21–64

Dos est magna parentium
  virtus et metuens alterius viri
certo foedere castitas,
  et peccare nefas aut pretiumst mori.

o quisquis volet inpias
  caedes et rabiem tollere civicam,
si quaeret PATER URBIUM
  subscribi statuis, indomitam audeat

refrenare licentiam,
  clarus postgenitis : quatenus, heu nefas,
virtutem incolumem odimus,
  sublatam ex oculis quaerimus invidi.

quid tristes querimoniae,
  si non supplicio culpa reciditur ;
quid leges sine moribus
  vanae proficiunt ? si neque fervidis

pars inclusa caloribus
  mundi nec Boreae finitimum latus
durataeque polo nives
  mercatorem abigunt, horrida callidi

vincunt aequora navitae,
  magnum pauperies opprobrium iubet
quidvis et facere et pati,
  virtutisque viam deserit arduae.

vel nos in Capitolium,
  quo clamor vocat et turba faventium,
vel nos in mare proximum
  gemmas et lapides aurum et inutile,

summi materiem mali,
  mittamus, scelerum si bene paenitet.
eradenda cupidinis
  pravi sunt elementa et tenerae nimis

mentes asperioribus
formandae studiis. nescit equo rudis
haerere ingenuos puer
venarique timet, ludere doctior,

seu Graeco iubeas trocho,
seu malis vetita legibus alea,
cum periura patris fides
consortem socium fallat et hospitem

indignoque pecuniam
heredi properet. scilicet inprobae
crescunt divitiae ; tamen
curtae nescio quid semper abest rei.

CXXXV

Pindar the Inimitable

Carm. IV. 2. 1–32

Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule, ceratis ope Daedalea
nititur pinnis vitreo daturus
nomina ponto.

monte decurrens velut amnis, imbres
quem super notas aluere ripas,
fervet inmensusque ruit profundo
Pindarus ore,

laurea donandus Apollinari,
seu per audacis nova dithyrambos
verba devolvit numerisque fertur
lege solutis,

seu deos regesve canit, deorum
sanguinem, per quos cecidere iusta
morte Centauri, cecidit tremendae
flamma Chimaerae,

sive quos Elea domum reducit
palma caelestis pugilemve equomve
dicit et centum potiore signis
munere donat,

flebili sponsae iuvenemve raptum
plorat et viris animumque moresque
aureos educit in astra nigroque
invidet Orco.

multa Dircaeum levat aura cycnum,
tendit, Antoni, quotiens in altos
nubium tractus. ego apis Matinae
more modoque

grata carpentis thyma per laborem
plurimum circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
carmina fingo.

CXXXVI

Change the Law of Life

Carm. IV. 7

Diffugere nives, redeunt iam gramina campis
arboribusque comae;
mutat terra vices et decrescentia ripas
flumina praetereunt;

Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
ducere nuda choros.
inmortalia ne speres, monet annus et almum
quae rapit hora diem.

frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aestas
interitura, simul
pomifer autumnus fruges effuderit, et mox
bruma recurrit iners.

damna tamen celeres reparant caelestia lunae;
nos ubi decidimus,
quo pater Aeneas, quo Tullus dives et Ancus,
pulvis et umbra sumus.

quis scit an adiciant hodiernae crastina summae
tempora di superi?
cuncta manus avidas fugient heredis, amico
quae dederis animo.

cum semel occideris et de te splendida Minos
fecerit arbitria,
non, Torquate, genus, non te facundia, non te
restituet pietas;

infernis neque enim tenebris Diana pudicum
liberat Hippolytum,
nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro
vincula Pirithoo.

CXXXVII

The Power of Poesy

Carm. IV. 8

Donarem pateras grataque commodus,
Censorine, meis aera sodalibus,
donarem tripodas, praemia fortium
Graiorum, neque tu pessima munerum

ferres, divite me scilicet artium,
quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,
hic saxo, liquidis ille coloribus
sollers nunc hominem ponere, nunc deum.

sed non haec mihi vis, nec tibi talium
res est aut animus deliciarum egens.
gaudes carminibus; carmina possumus
donare et pretium dicere muneri.

non incisa notis marmora publicis,
per quae spiritus et vita redit bonis
post mortem ducibus, clarius indicant
laudes quam Calabrae Pierides neque,

si chartae sileant quod bene feceris,
mercedem tuleris. quid foret Iliae
Mavortisque puer, si taciturnitas
obstaret meritis invida Romuli?

ereptum Stygiis fluctibus Aeacum
virtus et favor et lingua potentium
vatum divitibus consecrat insulis.
caelo Musa beat. sic Iovis interest

optatis epulis inpiger Hercules,
clarum Tyndaridae sidus ab infimis
quassas eripiunt aequoribus rates,
Liber vota bonos ducit ad exitus.

CXXXVIII

A Lover's Weakness

Epod. XI. 5–28

Hic tertius December, ex quo destiti
Inachia furere, silvis honorem decutit.
heu me, per urbem, nam pudet tanti mali,
fabula quanta fui, conviviorum ut paenitet,
in quis amantem languor et silentium
arguit et latere petitus imo spiritus !
'contrane lucrum nil valere candidum
pauperis ingenium !' querebar adplorans tibi,
simul calentis inverecundus deus
fervidiore mero arcana promorat loco.
'quodsi meis inaestuet praecordiis
libera bilis, ut haec ingrata ventis dividat
fomenta, volnus nil malum levantia,
desinet inparibus certare submotus pudor.'
ubi haec severus te palam laudaveram,
iussus abire domum ferebar incerto pede
ad non amicos heu mihi postis et heu
limina dura, quibus lumbos et infregi latus.
nunc gloriantis quamlibet mulierculam
vincere mollitie amor Lycisci me tenet;
unde expedire non amicorum queant
libera consilia nec contumeliae graves,
sed ardor alius aut puellae candidae
aut teretis pueri, longam renodantis comam.

CXXXIX

'Fill the Bumper fair'

Epod. XIII.

Horrida tempestas caelum contraxit, et imbres
nivesque deducunt Iovem; nunc mare, nunc siluae

Threicio aquilone sonant. rapiamus, amici,
occasionem de die, dumque virent genua
et decet, obducta solvatur fronte senectus.
tu vina Torquato move consule pressa meo.
cetera mitte loqui: deus haec fortasse benigna
reducet in sedem vice. nunc et Achaemenio
perfundi nardo iuvat et fide Cyllenea
levare diris pectora sollicitudinibus,
nobilis ut cecinit grandi Centaurus alumno:
'invicte, mortalis dea nate puer Thetide,
te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
findunt Scamandri flumina lubricus et Simois,
unde tibi reditum curto subtemine Parcae
rupere, nec mater domum caerula te revehet.
illic omne malum vino cantuque levato,
deformis aegrimoniae dulcibus adloquiis.'

CXL

The Evolution of Society

Sat. I. 3. 99–124

Cum prorepserunt primis animalia terris,
mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter
unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
pugnabant armis, quae post fabricaverat usus,
donec verba, quibus voces sensusque notarent,
nominaque invenere; dehinc absistere bello,
oppida coeperunt munire et ponere leges,
nequis fur esset neu latro neuquis adulter.
nam fuit ante Helenam cunnus deterrima belli
causa, sed ignotis perierunt mortibus illi,
quos venerem incertam rapientis more ferarum
viribus editior caedebat, ut in grege taurus.
iura inventa metu iniusti fateare necessest,
tempora si fastosque velis evolvere mundi.
nec natura potest iusto secernere iniquom,
dividit ut bona diversis, fugienda petendis;
nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque
qui teneros caules alieni fregerit horti
et qui nocturnus sacra divum legerit. adsit
regula, peccatis quae poenas inroget aequas,

nam, ut scutica dignum horribili sectere flagello,
ne ferula caedas meritum maiora subire
verbera non vereor, cum dicas esse pares res
furta latrociniis et magnis parva mineris
falce recisurum simili te, si tibi regnum
permittant homines.

CXLI

A Day's Occupations

Sat. I. 6. 111–131

Quacumque libidost,
incedo solus, percontor quanti olus ac far,
fallacem circum vespertinumque pererro
saepe forum, adsisto divinis, inde domum me
ad porri et ciceris refero laganique catinum ;
cena ministratur pueris tribus, et lapis albus
pocula cum cyatho duo sustinet, adstat echinus
vilis, cum patera guttus, Campana supellex.
deinde eo dormitum, non sollicitus, mihi quod cras
surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se
voltum ferre negat Noviorum posse minoris.
ad quartam iaceo ; post hanc vagor aut ego lecto
aut scripto quod me tacitum iuvet, unguor olivo,
non quo fraudatis immundus Natta lucernis.
ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum
admonuit, fugio campum lusumque trigonem.
pransus non avide, quantum interpellet inani
ventre diem durare, domesticus otior. haec est
vita solutorum misera ambitione gravique.
his me consolor victurum suavius, ac si
quaestor avus pater atque meus patruosque fuisset.

CXLII

The Ox and the Frog

Sat. II. 3. 305–326

'Stultum me fateor (liceat concedere veris)
atque etiam insanum ; tantum hoc edissere, quo me
aegrotare putes animi vitio.' 'accipe : primum
aedificas, hoc est longos imitaris, ab imo

ad summum totus moduli bipedalis, et idem
corpore maiorem rides Turbonis in armis
spiritum et incessum : qui ridiculus minus illo ?
an, quodcumque facit Maecenas, te quoque verumst,
tantum dissimilem et tanto certare minorem ?
absentis ranae pullis vituli pede pressis
unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
belua cognatos eliserit : illa rogare,
quantane ? num tantum, sufflans se, magna fuisset ?
"maior." "dimidio ?—num tanto ?" cum magis atque
se magis inflaret, "non, si te ruperis," inquit,
"par eris." haec a te non multum abludit imago.
adde poëmata nunc, hoc est, oleum adde camino,
quae siquis sanus fecit, sanus facis et tu.
non dico horrendam rabiem.' 'iam desine.' 'cultum
maiorem censu.' 'teneas, Damasippe, tuis te.'
'mille puellarum, puerorum mille furores.'
'o maior tandem parcas insane minori.'

CXLIII

Gastronomy

Sat. II. 4. 35–62

Nec sibi cenarum quivis temere arroget artem,
non prius exacta tenui ratione saporum.
nec satis est, cara piscis averrere mensa
ignarum, quibus est ius aptius et quibus assis
languidus in cubitum iam se conviva reponet.
Umber et iligna nutritus glande rotundas
curvat aper lancis carnem vitantis inertem :
nam Laurens malus est, ulvis et arundine pinguis.
vinea submittit capreas non semper edulis.
fecundae leporis sapiens sectabitur armos.
piscibus atque avibus quae natura et foret aetas,
ante meum nulli patuit quaesita palatum.
sunt quorum ingenium nova tantum crustula promit.
nequaquam satis in re una consumere curam,
ut siquis solum hoc, mala ne sint vina, laboret,
quali perfundat piscis securus olivo.
Massica si caelo suppones vina sereno,
nocturna, siquid crassist, tenuabitur aura,

et decedet odor nervis inimicus ; at illa
integrum perdunt lino vitiata saporem.
Surrentina vafer qui miscet faece Falerna
vina, columbino limum bene colligit ovo,
quatenus ima petit volvens aliena vitellus.
tostis marcentem squillis recreabis et Afra
potorem cochlea : nam lactuca innatat acri
post vinum stomacho ; perna magis ac magis hillis
flagitat inmorsus refici, quin omnia malit,
quaecumque inmundis fervent adlata popinis.

CXLIV

The Town Mouse and the Country Mouse

Sat. II. 6. 79–117

Olim
rusticus urbanum murem mus paupere fertur
accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum,
asper et attentus quaesitis, ut tamen artum
solveret hospitiis animum. quid multa? neque ille
sepositi ciceris nec longae invidit avenae,
aridum et ore ferens acinum semesaque lardi
frusta dedit, cupiens varia fastidia cena
vincere tangentis male singula dente superbo ;
cum pater ipse domus palea porrectus in horna
esset ador loliumque, dapis meliora relinquens.
tandem urbanus ad hunc 'quid te iuvat' inquit, 'amice,
praerupti nemoris patientem vivere dorso?
vis tu homines urbemque feris praeponere silvis?
carpe viam, mihi crede, comes, terrestria quando
mortalis animas vivunt sortita, neque ullast
aut magno aut parvo leti fuga : quo, bone, circa,
dum licet, in rebus iucundis vive beatus,
vive memor, quam sis aevi brevis.' haec ubi dicta
agrestem pepulere, domo levis exsilit ; inde
ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
moenia nocturni subrepere. iamque tenebat
nox medium caeli spatium, cum ponit uterque
in locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco
tincta super lectos canderet vestis eburnos,
multaque de magna superessent fercula cena,
quae procul exstructis inerant hesterna canistris.

ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit
agrestem, veluti succinctus cursitat hospes
continuatque dapes, nec non verniliter ipse
fungitur officiis, praelambens omne quod adfert.
ille cubans gaudet mutata sorte bonisque
rebus agit laetum convivam, cum subito ingens
valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
currere per totum pavidi conclave magisque
exanimes trepidare, simul domus alta Molossis
personuit canibus. tum rusticus: 'haud mihi vita
est opus hac' ait et 'valeas: me silva cavusque
tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.'

CXLV

A Graceful Piece of Advice

Epist. I. 8

Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano
Musa rogata refer, comiti scribaeque Neronis.
si quaeret quid agam, dic multa et pulchra minantem
vivere nec recte nec suaviter, haud quia grando
contuderit vitis oleamve momorderit aestus,
nec quia longinquis armentum aegrotet in agris;
sed quia mente minus validus quam corpore toto
nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum;
fidis offendar medicis, irascar amicis,
cur me funesto properent arcere veterno;
quae nocuere sequar, fugiam quae profore credam;
Romae Tibur amem ventosus, Tibure Romam.
post haec, ut valeat, quo pacto rem gerat et se,
ut placeat iuveni, percontare, utque cohorti.
si dicet 'recte,' primum gaudere, subinde
praeceptum auriculis hoc instillare memento:
ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus.

CXLVI

A Letter of Introduction

Epist. I. 9

Septimius, Claudi, nimirum intellegit unus,
quanti me facias; nam cum rogat et prece cogit,

scilicet ut tibi se laudare et tradere coner,
dignum mente domoque legentis honesta Neronis,
munere cum fungi propioris censet amici:
quid possim videt ac novit me valdius ipso.
multa quidem dixi, cur excusatus abirem;
sed timui, mea ne finxisse minora putarer,
dissimulator opis propriae, mihi commodus uni.
sic ego, maioris fugiens opprobria culpae,
frontis ad urbanae descendi praemia. quodsi
depositum laudas ob amici iussa pudorem,
scribe tui gregis hunc et fortem crede bonumque.

CXLVII

A very Parenthetic Letter

Epist. I. 15. 1–25

Quae sit hiemps Veliae, quod caelum, Vala, Salerni,
quorum hominum regio et qualis via (nam mihi Baias
Musa supervacuas Antonius et tamen illis
me facit invisum, gelida cum perluor unda
per medium frigus. sane murteta relinqui
dictaque cessantem nervis elidere morbum
sulfura contemni vicus gemit, invidus aegris,
qui caput et stomachum supponere fontibus audent
Clusinis Gabiosque petunt et frigida rura.
mutandus locus est et deversoria nota
praeteragendus equus. 'quo tendis? non mihi Cumas
est iter ac Baias' laeva stomachosus habena
dicet eques; sed equi frenatost auris in ore);
maior utrum populum frumenti copia pascat,
collectosne bibant imbris puteosne perennis
dulcis aquae (nam vina nihil moror illius orae.
rure meo possum quidvis perferre patique;
ad mare cum veni, generosum et lene requiro,
quod curas abigat, quod cum spe divite manet
in venas animumque meum, quod verba ministret,
quod me Lucanae iuvenem commendet amicae);
tractus uter plures lepores, uter educet apros;
utra magis piscis et echinos aequora celent,
pinguis ut inde domum possim Phaeaxque reverti,
scribere te nobis, tibi nos aderedere par est.

CXLVIII

Horace on Early Roman Poetry

Epist. II. 1. 50–77

Ennius, et sapiens et fortis et alter Homerus,
ut critici dicunt, leviter curare videtur,
quo promissa cadant et somnia Pythagorea.
Naevius in manibus non est et mentibus haeret
paene recens? adeo sanctumst vetus omne poëma.
ambigitur quotiens, uter utro sit prior, aufert
Pacuvius docti famam senis, Accius alti,
dicitur Afrani toga convenisse Menandro,
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.
hos ediscit et hos arto stipata theatro
spectat Roma potens, habet hos numeratque poëtas
ad nostrum tempus Livi scriptoris ab aevo.
interdum volgus rectum videt; est ubi peccat.
si veteres ita miratur laudatque poëtas,
ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat;
si quaedam nimis antique, si pleraque dure
dicere credit eos, ignave multa fatetur,
et sapit et mecum facit et Iove iudicat aequo.
non equidem insector delendave carmina Livi
esse reor, memini quae plagosum mihi parvo
Orbilium dictare; sed emendata videri
pulchraque et exactis minimum distantia miror.
inter quae verbum emicuit si forte decorum,
si versus paulo concinnior unus et alter,
iniuste totum ducit venditque poëma.
indignor quicquam reprendi, non quia crasse
compositum illepideve putetur, sed quia nuper.

CXLIX

'Where Ignorance is Bliss 'tis Folly to be Wise'

Epist. II. 2. 126–140

Praetulerim scriptor delirus inersque videri,
dum mea delectent mala me vel denique fallant,
quam sapere et ringi. fuit haud ignobilis Argis,

qui se credebat miros audire tragoedos
in vacuo laetus sessor plausorque theatro,
cetera qui vitae servaret munia recto
more, bonus sane vicinus, amabilis hospes,
comis in uxorem, posset qui ignoscere servis
et signo laeso non insanire lagoenae,
posset qui rupem et puteum vitare patentem:
hic ubi cognatorum opibus curisque refectus
expulit elleboro morbum bilemque meraco
et redit ad sese, 'pol, me occidistis, amici,
non servastis' ait, 'cui sic extorta voluptas
et demptus per vim mentis gratissimus error.'

CL

Genuine Feeling the Essential Condition of True Poetry

Ars Poët. 93–113

Interdum tamen et vocem comoedia tollit,
iratusque Chremes tumido delitigat ore;
et tragicus plerumque dolet sermone pedestri
Telephus et Peleus, cum pauper et exsul uterque
proiicit ampullas et sesquipedalia verba,
si curat cor spectantis tetigisse querella.
non satis est pulchra esse poëmata: dulcia sunto,
et quocumque volent, animum auditoris agunto.
ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
humani vultus. si vis me flere, dolendum est
primum ipsi tibi: tunc tua me infortunia laedent,
Telephe vel Peleu; male si mandata loqueris,
aut dormitabo aut ridebo. tristia maestum
vultum verba decent, iratum plena minarum,
ludentem lasciva, severum seria dictu.
format enim natura prius nos intus ad omnem
fortunarum habitum, iuvat aut impellit ad iram,
aut ad humum maerore gravi deducit et angit;
post effert animi motus interprete lingua.
si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites peditesque cachinnum.

CLI

Each Stage in Life has its own Characteristics

Ars Poët. 156–178

Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,
mobilibusque decor naturis dandus et annis.
reddere qui voces iam scit puer et pede certo
signat humum, gestit paribus colludere et iram
colligit ac ponit temere et mutatur in horas.
imberbis iuvenis, tandem custode remoto,
gaudet equis canibusque et aprici gramine campi,
cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
utilium tardus provisor, prodigus aeris,
sublimis cupidusque et amata relinquere pernix.
conversis studiis aetas animusque virilis
quaerit opes et amicitias, inservit honori,
commisisse cavet, quod mox mutare laboret.
multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
quaerit et inventis miser abstinet ac timet uti,
vel quod res omnis timide gelideque ministrat.
dilator, spe longus, iners, pavidusque futuri,
difficilis, querulus, laudator temporis acti
se puero, castigator censorque minorum.
multa ferunt anni venientes commoda secum,
multa recedentes adimunt. ne forte seniles
mandentur iuveni partes pueroque viriles :
semper in adiunctis aevoque morabimur aptis.

ALBIUS TIBULLUS (65 ?–19 B.C.)

CLII

The Praise of Peace and Love

I. 1. 37–68

Adsitis, divi, nec vos de paupere mensa
dona nec e puris spernite fictilibus.
fictilia antiquos primum sibi fecit agrestis
pocula, de facili conposuitque luto.
non ego divitias patrum fructusque requiro,
quos tulit antiquo condita messis avo :

parva seges satis est, satis est, requiescere lecto
si licet et solito membra levare toro.
quam iuvat inmitis ventos audire cubantem
et dominam tenero detinuisse sinu,
aut, gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster,
securum somnos imbre iuvante sequi!
hoc mihi contingat: sit dives iure, furorem
qui maris et tristis ferre potest pluvias.
o quantumst auri potius pereatque smaragdi,
quam fleat ob nostras ulla puella vias.
te bellare decet terra, Messalla, marique,
ut domus hostilis praeferat exuvias:
me retinent victum formosae vincla puellae,
et sedeo duras ianitor ante fores.
non ego laudari curo, mea Delia: tecum
dum modo sim, quaeso segnis inersque vocer.
te spectem, suprema mihi cum venerit hora,
te teneam moriens deficiente manu.
flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.
flebis: non tua sunt duro praecordia ferro
vincta, neque in tenero stat tibi corde silex.
illo non iuvenis poterit de funere quisquam
lumina, non virgo, sicca referre domum.
tum Manis ne laede meos, sed parce solutis
crinibus et teneris, Delia, parce genis.

CLIII

Attentions which a Penniless Lover may pay

1. 5. 47–66

Haec nocuere mihi, quod adest huic dives amator:
venit in exitium callida lena meum.
sanguineas edat illa dapes atque ore cruento
tristia cum multo pocula felle bibat:
hanc volitent animae circum sua fata querentes
semper et e tectis strix violenta canat:
ipsa fame stimulante furens herbasque sepulcris
quaerat et a saevis ossa relicta lupis,
currat et inguinibus nudis ululetque per urbes,
post agat e triviis aspera turba canum.

evenient : dat signa deus : sunt numina amanti,
saevit et iniusta lege relicta Venus.
at tu quam primum sagae praecepta rapacis
desere : non donis vincitur omnis amor.
pauper erit praesto semper tibi, pauper adibit
primus et in tenero fixus erit latere,
pauper in angusto fidus comes agmine turbae
subicietque manus efficietque viam,
pauper adhuc luteos suris deducet amictus
vinclaque de niveo detrahet ipse pede.

CLIV

Osiris is invoked to attend the Birthday Revels of Messalla

I. 7. 43–64

Non tibi sunt tristes curae nec luctus, Osiri,
sed chorus et cantus et levis aptus amor,
sed varii flores et frons redimita corymbis,
fusa sed ad teneros lutea palla pedes
et Tyriae vestes et dulcis tibia cantu
et levis occultis conscia cista sacris.
huc ades et Genium ludo Geniumque choreis
concelebra et multo tempora funde mero :
illius et nitido stillent unguenta capillo,
et capite et collo mollia serta gerat.
sic venias hodierne : tibi dem turis honores,
liba et Mopsopio dulcia melle feram.
at tibi succrescat proles, quae facta parentis
augeat et circa stet, venerande, senem.
nec taceat monumenta viae, quem Tuscula tellus
candidaque antiquo detinet Alba Lare.
namque opibus congesta tuis hic glarea dura
sternitur, hic apta iungitur arte silex.
te canit agricola, e magna cum venerit urbe
serus inoffensum rettuleritque pedem.
at tu, natalis multos celebrande per annos,
candidior semper candidiorque veni.

CLV

Rural Joys

II. 1. 37–82

Rura cano rurisque deos. his vita magistris
desuevit querna pellere glande famem :
illi conpositis primum docuere tigillis
exiguam viridi fronde operire domum,
illi etiam tauros primi docuisse feruntur
servitium et plaustro supposuisse rotam.
tunc victus abiere feri, tunc consita pomus,
tunc bibit inriguas fertilis hortus aquas,
aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores
mixtaque securost sobria lympha mero.
rura ferunt messis, calidi cum sideris aestu
deponit flavas annua terra comas.
rure levis verno flores apis ingerit alveo,
conpleat ut dulci sedula melle favos.
agricola adsiduo primum satiatus aratro
cantavit certo rustica verba pede
et satur arenti primumst modulatus avena
carmen, ut ornatos diceret ante deos,
agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
primus inexperta duxit ab arte choros.
huic datus a pleno, memorabile munus, ovili
dux pecoris curtas auxerat hircus opes.
rure puer verno primum de flore coronam
fecit et antiquis inposuit Laribus.
rure etiam teneris curam exhibitura puellis
molle gerit tergo lucida vellus ovis.
hinc et femineus labor est, hinc pensa colusque,
fusus et adposito pollice versat opus :
atque aliqua adsiduae textrix operata Minervae
cantat, et adplauso tela sonat latere.
ipse interque greges interque armenta Cupido
natus et indomitas dicitur inter equas.
illic indocto primum se exercuit arcu :
ei mihi, quam doctas nunc habet ille manus !
nec pecudes, velut ante, petit : fixisse puellas
gestit et audacis perdomuisse viros.

hic iuveni detraxit opes, hic dicere iussit
limen ad iratae verba pudenda senem:
hoc duce custodes furtim transgressa iacentis
ad iuvenem tenebris sola puella venit
et pedibus praetemptat iter suspensa timore,
explorat caecas cui manus ante vias.
a miseri, quos hic graviter deus urget! at ille
felix, cui placidus leniter adflat Amor.
sancte, veni dapibus festis, sed pone sagittas
et procul ardentis hinc precor abde faces.

CLVI

The Poet adjures Nemesis by the Memory of her Dead Sister

II. 6. 19–42

Iam mala finissem leto, sed credula vitam
Spes fovet et fore cras semper ait melius.
Spes alit agricolas, Spes sulcis credit aratis
semina, quae magno fenore reddat ager:
haec laqueo volucres, haec captat arundine piscis,
cum tenuis hamos abdidit ante cibus:
Spes etiam valida solatur compede vinctum
(crura sonant ferro, sed canit inter opus):
Spes facilem Nemesim spondet mihi, sed negat illa.
ei mihi, ne vincas, dura puella, deam.
parce, per inmatura tuae precor ossa sororis:
sic bene sub tenera parva quiescat humo.
illa mihi sanctast, illius dona sepulcro
et madefacta meis serta feram lacrimis,
illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo
et mea cum muto fata querar cinere.
non feret usque suom te propter flere clientem:
illius ut verbis, sis mihi lenta, veto,
ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes,
maestaque sopitae stet soror ante torum,
qualis ab excelsa praeceps delapsa fenestra
venit ad infernos sanguinolenta lacus.
desino, ne dominae luctus renoventur acerbi:
non ego sum tanti, ploret ut illa semel.

CLVII

A Lament in Sickness

III. 5

Vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda,
unda sub aestivum non adeunda Canem,
nunc autem sacris Baiarum proxima lymphis,
cum se purpureo vere remittit humus:
at mihi Persephone nigram denuntiat horam:
inmerito iuveni parce nocere, dea.
non ego temptavi nulli temeranda virorum
audax laudandae sacra docere deae,
nec mea mortiferis infecit pocula sucis
dextera nec cuiquam trita venena dedit,
nec nos sacrilegi templis admovimus ignis,
nec cor sollicitant facta nefanda meum,
nec nos insanae meditantes iurgia mentis
inpia in adversos solvimus ora deos:
et nondum cani nigros laesere capillos,
nec venit tardo curva senecta pede.
natalem primo nostrum videre parentes,
cum cecidit fato consul uterque pari.
quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis
et modo nata mala vellere poma manu?
parcite, pallentis undas quicumque tenetis
diraque sortiti tertia regna dei.
Elysios olim liceat cognoscere campos
Lethaeamque ratem Cimmeriosque lacus,
cum mea rugosa pallebunt ora senecta
et referam pueris tempora prisca senex.
atque utinam vano nequiquam terrear aestu!
languent ter quinos sed mea membra dies.
at vobis Tuscae celebrantur numina lymphae
et facilis lenta pellitur unda manu.
vivite felices, memores et vivite nostri,
sive erimus seu nos fata fuisse velint.
interea nigras pecudes promittite Diti
et nivei lactis pocula mixta mero.

CLVIII

A Beautiful Woman

IV. 2

Sulpiciast tibi culta tuis, Mars magne, kalendis :
spectatum e caelo, si sapis, ipse veni.
hoc Venus ignoscet : at tu, violente, caveto
ne tibi miranti turpiter arma cadant.
illius ex oculis, cum volt exurere divos,
accendit geminas lampadas acer Amor.
illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit,
conponit furtim subsequiturque Decor.
seu solvit crines, fusis decet esse capillis :
seu compsit, comptis est veneranda comis.
urit, seu Tyria voluit procedere palla :
urit, seu nivea candida veste venit.
talis in aeterno felix Vertumnus Olympo
mille habet ornatus, mille decenter habet.
sola puellarum dignast, cui mollia caris
vellera det sucis bis madefacta Tyros,
possideatque, metit quidquid bene olentibus arvis
cultor odoratae dives Arabs segetis
et quascumque niger rubro de litore gemmas
proximus Eois colligit Indus aquis.
hanc vos, Pierides, festis cantate kalendis,
et testudinea Phoebe superbe lyra.
hoc solemne sacrum : multos hoc sumite in annos :
dignior est vestro nulla puella choro.

CLIX

A Lover's Hopes and Fears

IV. 13

Nulla tuum nobis subducet femina lectum :
hoc primum iunctast foedere nostra Venus.
tu mihi sola places, nec iam te praeter in urbe
formosast oculis ulla puella meis.
atque utinam posses uni mihi bella videri !
displiceas aliis : sic ego tutus ero.

nil opus invidiast, procul absit gloria volgi:
qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.
sic ego secretis possum bene vivere silvis,
qua nulla humano sit via trita pede.
tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
lumen, et in solis tu mihi turba locis.
nunc licet e caelo mittatur amica Tibullo,
mittetur frustra deficietque Venus.
haec tibi sancta tuae Iunonis numina iuro,
quae sola ante alios est tibi magna deos.
quid facio demens? heu heu mea pignora cedo.
iuravi stulte: proderat iste timor.
nunc tu fortis eris, nunc tu me audacius ures:
hoc peperit misero garrula lingua malum.
iam, facias quodcumque voles, tuos usque manebo,
nec fugiam notae servitium dominae,
sed Veneris sanctae considam vinctus ad aras.
haec notat iniustos supplicibusque favet.

SEXTUS AURELIUS PROPERTIUS (fl. c. 25 B.C.)

CLX

Sleeping Cynthia

Eleg. I. 3. 1–30

Qualis Thesea iacuit cedente carina
languida desertis Gnosia litoribus,
qualis et accubuit primo Cepheia somno
libera iam duris cotibus Andromede,
nec minus adsiduis Edonis fessa choreis
qualis in herboso concidit Apidano:
talis visa mihi mollem spirare quietem
Cynthia non certis nixa caput manibus,
ebria cum multo traherem vestigia Baccho
et quaterent sera nocte facem pueri.
hanc ego, nondum etiam sensus deperditus omnis,
molliter inpresso conor adire toro;
et quamvis duplici correptum ardore iuberent
hac Amor hac Liber, durus uterque deus,

subiecto leviter positam temptare lacerto
osculaque admota sumere cara manu,
non tamen ausus eram dominae turbare quietem,
expertae metuens iurgia saevitiae,
sed sic intentis haerebam fixus ocellis,
Argus ut ignotis cornibus Inachidos.
et modo solvebam nostra de fronte corollas
ponebamque tuis, Cynthia, temporibus,
et modo gaudebam lapsos formare capillos,
nunc furtiva cavis poma dabam manibus,
omniaque ingrato largibar munera somno,
munera de prono saepe voluta sinu ;
et quotiens raro duxti suspiria motu,
obstupui vano credulus auspicio,
nequa tibi insolitos portarent visa timores,
neve quis invitam cogeret esse suam.

CLXI

Propertius declines his Friend's Invitation to Travel

Eleg. I. 6. 13–36

An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas
atque Asiae veteres cernere divitias,
ut mihi deducta faciat convicia puppi
Cynthia et insanis ora notet manibus,
osculaque opposito dicat sibi debita vento
et nihil infido durius esse viro?
tu patrui meritas conare antire secures
et vetera oblitis iura refer sociis.
nam tua non aetas umquam cessavit amori,
semper et armatae cura fuit patriae ;
et tibi non umquam nostros puer iste labores
adferat et lacrimis omnia nota meis.
me sine, quem semper voluit fortuna iacere,
hanc animam extremae reddere nequitiae.
multi longinquo periere in amore libenter,
in quorum numero me quoque terra tegat.
non ego sum laudi, non natus idoneus armis :
hanc me militiam fata subire volunt.
at tu seu mollis qua tendit Ionia seu qua
Lydia Pactoli tingit arata liquor,

seu pedibus terras seu pontum carpere remis
ibis, ut accepti sors erit imperii:
tum tibi siqua mei veniet non inmemor hora,
vivere me duro sidere certus eris.

CLXII

A Soliloquy on Cynthia's Cruelty

Eleg. I. 18

Haec certe deserta loca et taciturna querenti,
et vacuom Zephyri possidet aura nemus:
hic licet occultos proferre inpune dolores,
si modo sola queant saxa tenere fidem.
unde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus?
quod mihi das flendi, Cynthia, principium?
qui modo felicis inter numerabar amantis,
nunc in amore tuo cogor habere notam.
quid tantum merui? quae te mihi crimina mutant?
an nova tristitiae causa puella tuae?
sic mihi te referas levis, ut non altera nostro
limine formosos intulit ulla pedes.
quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
non ita saeva tamen venerit ira mea,
ut tibi sim merito semper furor et tua flendo
lumina deiectis turpia sint lacrimis.
an quia parva damus mutato signa calore,
et non ulla meo clamat in ore fides?
vos eritis testes, siquos habet arbor amores,
fagus et Arcadio pinus amica deo.
a quotiens teneras resonant mea verba sub umbras,
scribitur et vestris Cynthia corticibus!
en tua quot peperit nobis iniuria curas,
quae solum tacitis cognita sunt foribus!
omnia consuevi timidus perferre superbae
iussa neque arguto facta dolore queri.
pro quo dumosi montes et frigida rupes
et datur inculto tramite dura quies;
et quodcumque meae possunt narrare querellae,
cogor ad argutas dicere solus avis.
sed qualiscumque es, resonent mihi 'Cynthia' silvae,
nec deserta tuo nomine saxa vacent.

CLXIII

The Rape of Hylas

Eleg. I. 20. 33–52

Hic erat Arganthi Pegae sub vertice montis
grata domus Nymphis umida Thyniasin,
quam supra nullae pendebant debita curae
roscida desertis poma sub arboribus,
et circum inriguo surgebant lilia prato
candida purpureis mixta papaveribus.
quae modo decerpens tenero pueriliter ungui
proposito florem praetulit officio,
et modo formosis incumbens nescius undis
errorem blandis tardat imaginibus.
tandem haurire parat demissis flumina palmis
innixus dextro plena trahens umero.
cuius ut accensae Hydriades candore puellae
miratae solitos destituere choros,
prolapsum leviter facili traxere liquore:
tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
cui procul Alcides iterat responset: at illi
nomen ab extremis fontibus aura refert.
his, o Galle, tuos monitus servabis amores,
formosum ni vis perdere rusus Hylan.

CLXIV

Domestic Purity

Eleg. II. 6. 27–42

Quae manus obscaenas depinxit prima tabellas
et posuit casta turpia visa domo,
illa puellarum ingenuos corrupit ocellos
nequitiaeque suae noluit esse rudes.
a gemat, in terris ista qui protulit arte
iurgia sub tacita condita laetitia.
non istis olim variabant tecta figuris:
tum paries nullo crimine pictus erat.
sed non inmerito velavit aranea fanum
et mala desertos occupat herba deos.
quos igitur tibi custodes, quae limina ponam,
quae numquam supra pes inimicus eat?

nam nihil invitae tristis custodia prodest:
quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.
nos uxor numquam, numquam diducet amica:
semper amica mihi, semper et uxor eris.

CLXV

The Poet complains of Cynthia's Observance of Foreign Rites

Eleg. II. 33. 1–20

Tristia iam redeunt iterum sollemnia nobis:
Cynthia iam noctis est operata decem.
atque utinam pereat, Nilo quae sacra tepente
misit matronis Inachis Ausoniis!
quae dea tam cupidos totiens divisit amantis?
quaecumque illa fuit, semper amara fuit.
tu certe Iovis occultis in amoribus, Io,
sensisti, multas quid sit inire vias,
cum te iussit habere puellam cornua Iuno
et pecoris duro perdere verba sono.
a quotiens quernis laesisti frondibus ora!
mandisti stabulis arbuta pasta tuis!
an, quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
Iuppiter, idcirco facta superba dea es?
an tibi non satis est fuscis Aegyptus alumnis?
cur tibi tam longa Roma petita via?
quidve tibi prodest viduas dormire puellas?
sed tibi, crede mihi, cornua rusus erunt,
aut nos e nostra te, saeva, fugabimus urbe:
cum Tiberi Nilo gratia nulla fuit.

CLXVI

A Glorification of Virgil

Eleg. II. 34. 59–80

Me iuvet hesternis positum languere corollis
quem tetigit iactu certus ad ossa deus,
Actia Virgilium custodis litora Phoebi,
Caesaris et fortis dicere posse ratis,

qui nunc Aeneae Troiani suscitat arma
iactaque Lavinis moenia litoribus.
cedite Romani scriptores, cedite Grai:
nescioquid maius nascitur Iliade.
tu canis umbrosi subter pineta Galaesi
Thyrsin et attritis Daphnin harundinibus,
utque decem possint corrumpere mala puellas,
missus et inpressis haedus ab uberibus.
felix, qui vilis pomis mercaris amores!
huic licet ingratae Tityrus ipse canat:
felix intactum Corydon qui temptat Alexin
agricolae domini carpere delicias!
quamvis ille sua lassus requiescat avena,
laudatur facilis inter Hamadryadas.
tu canis Ascraei veteris praecepta poëtae,
quo seges in campo, quo viret uva iugo.
tale facis carmen, docta testudine quale
Cynthius inpositis temperat articulis.

CLXVII

The Influence of Poetry on the Female Mind

Eleg. III. 2

Orphea delenisse feras et concita dicunt
flumina Threicia sustinuisse lyra:
saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem
sponte sua in muri membra coisse ferunt:
quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna
ad tua rorantis carmina flexit equos:
miremur, nobis et Baccho et Apolline dextro,
turba puellarum si mea verba colit?
quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis,
nec camera auratas inter eburna trabes,
nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas,
non operosa rigat Marcius antra liquor;
at Musae comites et carmina cara legenti,
et defessa choris Calliopea meis.
fortunata, meo siqua es celebrata libello!
carmina erunt formae tot monimenta tuae.
nam neque pyramidum sumptus ad sidera ducti,
nec Iovis Elei caelum imitata domus,

nec Mausolei dives fortuna sepulchri
mortis ab extrema condicione vacant.
aut illis flamma aut imber subducet honores,
annorum aut ictu pondera victa ruent.
at non ingenio quaesitum nomen ab aevo
excidet: ingenio stat sine morte decus.

CLXVIII

The Study of Nature befits Old Age

Eleg. III. 5. 23–48

Atque ubi iam Venerem gravis interceperit aetas,
sparserit et nigras alba senecta comas,
tum mihi naturae libeat perdiscere mores,
quis deus hanc mundi temperet arte domum,
qua venit exoriens, qua deficit, unde coactis
cornibus in plenum menstrua luna redit,
unde salo superant venti, quid flamine captet
Eurus, et in nubis unde perennis aqua,
sit ventura dies, mundi quae subruat arcis,
purpureus pluvias cur bibit arcus aquas,
aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi,
solis et atratis luxerit orbis equis,
cur serus versare boves et plaustra Bootes,
Pleiadum spisso cur coit igne chorus,
curve suos finis altum non exeat aequor,
plenus et in partis quattuor annus eat,
sub terris sint iura deum et tormenta nocentum,
num rota, num scopuli, num sitis inter aquas,
aut Alcmaeoniae furiae aut iciunia Phinei,
Tisiphones atro si furit angue caput,
num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus, et Tityo iugera pauca novem,
an ficta in miseras descendit fabula gentis,
et timor haut ultra quam rogus esse potest.
exitus hic vitae superet mihi: vos, quibus arma
grata magis, Crassi signa referte domum.

CLXIX

The Downfall of Cleopatra

Eleg. III. 11. 27–56

Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina divos?
Iuppiter infamat seque suamque domum.
quid, modo quae nostris opprobria vexerat armis
et famulos inter femina trita suos
coniugii obscaeni pretium Romana poposcit
moenia et addictos in sua regna patres!
noxia Alexandria, dolis aptissima tellus,
et totiens nostro Memphi cruenta malo,
tris ubi Pompeio detraxit harena triumphos!
tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam.
issent Phlegraeo melius tibi funera campo,
vel tua si socero colla daturus eras.
scilicet incesti meretrix regina Canopi
(una Philippeo sanguine adusta nota)
ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubin,
et Tiberim Nili cogere ferre minas,
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
baridos et contis rostra Liburna sequi,
foedaque Tarpeio conopia tendere saxo:
iura dares statuas inter et arma Mari!
fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:
accepere tuae Romula vincla manus.
bracchia spectavi sacris admorsa colubris,
et trahere occultum membra soporis iter.
'non haec, Roma, fuit tanto tibi cive verenda'
dixi 'aut adsiduo lingua sepulta mero.
quid nunc Tarquinii fractas iuvat esse secures,
nomine quem simili vita superba notat,
si mulier patienda fuit? cape, Roma, triumphum,
et longum Augusto salva precare diem.'

CLXX

The Ghost of Cynthia upbraids her Lover for his Neglect of her in Death

Eleg. IV. 7. 1–38

Sunt aliquid Manes: letum non omnia finit,
luridaque evictos effugit umbra rogos.

Cynthia namque meo visast incumbere fulcro,
murmur ad extremae nuper humata viae,
cum mihi somnus ab exequiis penderet amoris,
et quererer lecti frigida regna mei.
eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit,
et solitum digito beryllon adederat ignis,
summaque Lethaeus triverat ora liquor.
spirantisque animos et vocem misit: at illi
pollicibus fragiles increpuere manus:
'perfide nec cuiquam melior sperande puellae,
in te iam viris somnus habere potest?
iamne tibi exciderunt vigilacis furta Suburae
et mea nocturnis trita fenestra dolis?
per quam demisso quotiens tibi fune pependi,
alterna veniens in tua colla manu!
at mihi non oculos quisquam inclamavit euntis:
unum inpetrassem te revocante diem:
nec crepuit fissa me propter harundine custos,
laesit et obiectum tegula curta caput.
denique quis nostro furvum te funere vidit,
atram quis lacrimis incaluisse togam?
si piguit portas ultra procedere, at illuc
iussisses lectum lentius ire meum.
cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
cur nardo flammae non oluere meae?
hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos
inicere et fracto busta piare cado.
Lygdamus uratur, candescat lamina vernae:
sensi ego, cum insidiis pallida vina bibi.
at Nomas arcanas tollat versuta salivas:
dicet damnatas ignea testa manus.'

CLXXI

The Ghost of Cornelia appears to her Husband

Eleg. IV. 11. 1–46

Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulchrum:
panditur ad nullas ianua nigra preces.
cum semel infernas intrarunt funera leges,
non exorato stant adamante viae.

te licet orantem fuscae deus audiat aulae,
nempe tuas lacrimas litora surda bibent.
vota movent superos: ubi portitor aera recepit,
observat umbrosos lurida porta rogos.
sic maestae cecinere tubae, cum subdita nostrum
detraheret lecto fax inimica caput.
quid mihi coniugium Paulli, quid currus avorum
profuit aut famae pignora tanta meae?
num minus inmitis habui Cornelia Parcas?
en sum, quod digitis quinque levatur, onus.
damnatae testes et vos vada lenta paludes,
et quaecumque meos inplicat unda pedes,
inmatura licet, tamen huc non noxia veni:
det pater hic umbrae mollia iura meae.
aut siquis posita iudex sedet Aeacus urna,
is mea sortita vindicet ossa pila:
adsideant fratres iuxta et Minoida sellam
Eumenidum intento turba severa foro.
Sisyphe, mole vaces, taceant Ixionis orbes,
fallax Tantaleo corripere ore liquor,
Cerberus et nullas hodie petat inprobus umbras,
et iaceat tacita lapsa catena sera.
ipsa loquar pro me: si fallo, poena sororum
infelix umeros urgeat urna meos.
sicui fama fuit per avita tropaea decori,
Afra Numantinos regna locuntur avos:
altera maternos exaequat turba Libones,
et domus est titulis utraque fulta suis.
mox, ubi iam facibus cessit praetexta maritis,
vinxit et acceptas altera vitta comas,
iungor, Paulle, tuo sic discessura cubili:
in lapide huic uni nupta fuisse legar.
testor maiorum cineres tibi, Roma, verendos,
sub quorum titulis, Africa, tunsa iaces,
et Persen proavo stimulantem pectus Achille
quique tuas proavus fregit, Averne, domos,
me neque censurae legem mollisse nec ulla
labe mea nostros erubuisse focos.
non fuit exuviis tantis Cornelia damnum:
quin erat et magnae pars imitanda domus.
nec mea mutatast aetas, sine crimine totast:
viximus insignes inter utramque facem.

P. OVIDIUS NASO (43 B.C.–17 A.D.)

CLXXII

Echo and Narcissus

Met. III. 370–399

Ergo ubi Narcissum per devia rura vagantem
vidit et incaluit, sequitur vestigia furtim ;
quoque magis sequitur, flamma propiore calescit,
non aliter, quam cum summis circumlita taedis
admotam rapiunt vivacia sulpura flammam.
o quotiens voluit blandis accedere dictis
et molles adhibere preces ! natura repugnat,
nec sinit incipiat. sed, quod sinit, illa parata est
expectare sonos, ad quos sua verba remittat.
forte puer, comitum seductus ab agmine fido,
dixerat 'ecquis adest ?' et 'adest !' responderat Echo.
hic stupet, atque aciem partes dimittit in omnes,
voce 'veni !' magna clamat : vocat illa vocantem.
respicit, et rursus nullo veniente 'quid' inquit
'me fugis ?' et totidem, quot dixit, verba recepit.
perstat, et alternae deceptus imagine vocis
'huc coëamus !' ait, nullique libentius umquam
responsura sono 'coëamus !' rettulit Echo
et verbis favet ipsa suis, egressaque silva
ibat, ut iniceret sperato bracchia collo.
ille fugit, fugiensque 'manus complexibus aufer !
ante' ait 'emoriar, quam sit tibi copia nostri !'
rettulit illa nihil nisi 'sit tibi copia nostri !'
spreta latet silvis, pudibundaque frondibus ora
protegit, et solis ex illo vivit in antris.
sed tamen haeret amor crescitque dolore repulsae :
extenuant vigiles corpus miserabile curae,
adducitque cutem macies, et in aëra sucus
corporis omnis abit. vox tantum atque ossa supersunt.
vox manet : ossa ferunt lapidis traxisse figuram.

CLXXIII

The Transformation of Arethusa

Met v. 609–641

Currere sustinui ; nec me velocior ille.
sed tolerare diu cursus ego, viribus inpar,
non poteram : longi patiens erat ille laboris.
per tamen et campos, per opertos arbore montes,
saxa quoque et rupes et qua via nulla, cucurri.
sol erat a tergo : vidi praecedere longam
ante pedes umbram—nisi si timor illa videbat—
sed certe sonitusque pedum terrebat, et ingens
crinales vittas afflabat anhelitus oris.
fessa labore fugae 'fer opem, deprendimur,' inquam,
'armigerae, Dictynna, tuae, cui saepe dedisti
ferre tuos arcus inclusaque tela pharetra.'
mota dea est, spissisque ferens e nubibus unam
me super iniecit. lustrat caligine tectam
amnis et ignarus circum cava nubila quaerit :
bisque locum, quo me dea texerat, inscius ambit,
et bis 'io Arethusa, io Arethusa!' vocavit.
quid mihi tunc animi miserae fuit? anne quod agnae est,
siqua lupos audit circum stabula alta frementes?
aut lepori, qui vepre latens hostilia cernit
ora canum, nullosque audet dare corpore motus?
non tamen abscedit ; neque enim vestigia cernit
longius ulla pedum : servat nubemque locumque.
occupat obsessos sudor mihi frigidus artus,
caeruleaeque cadunt toto de corpore guttae :
quaque pedem movi, manat lacus, eque capillis
ros cadit ; et citius, quam nunc tibi facta renarro,
in latices mutor. sed enim cognoscit amatas
amnis aquas, positoque viri, quod sumpserat, ore
vertitur in proprias, ut se mihi misceat, undas.
Delia rupit humum, caecisque ego mersa cavernis
advehor Ortygiam, quae me, cognomine divae
grata meae, superas eduxit prima sub auras.'

CLXXIV

Medea's Soliloquy

Met. VII. 11–48

'Frustra, Medea, repugnas:
nescio quis deus obstat' ait; 'mirumque, nisi hoc est,
aut aliquid certe simile huic, quod amare vocatur.
nam cur iussa patris nimium mihi dura videntur?
sunt quoque dura nimis. cur, quem modo denique vidi,
ne pereat, timeo? quae tanti causa timoris?
excute virgineo conceptas pectore flammas,
si potes, infelix. si possem, sanior essem.
sed gravat invitam nova vis. aliudque cupido,
mens aliud suadet. video meliora proboque,
deteriora sequor. quid in hospite, regia virgo,
ureris, et thalamos alieni concipis orbis?
haec quoque terra potest, quod ames, dare. vivat, an ille
occidat, in dis est. vivat tamen: idque precari
vel sine amore licet. quid enim commisit Iason?
quem, nisi crudelem, non tangat Iasonis aetas
et genus et virtus? quem non, ut cetera desint,
ore movere potest? certe mea pectora movit.
at nisi opem tulero, taurorum adflabitur igne,
concurretque suae segetis tellure creatis
hostibus, aut avido dabitur fera praeda draconi.
hoc ego si patiar, tum me de tigride natam,
tum ferrum et scopulos gestare in corde fatebor.
cur non et specto pereuntem, oculosque videndo
conscelero? cur non tauros exhortor in illum
terrigenasque feros insopitumque draconem?
di meliora velint. quamquam non ista precanda,
sed facienda mihi. prodamne ego regna parentis,
atque ope nescio quis servabitur advena nostra,
ut per me sospes sine me det lintea ventis,
virque sit alterius, poenae Medea relinquar?
si facere hoc, aliamve potest praeponere nobis,
occidat ingratus. sed non is vultus in illo,
non ea nobilitas animo est, ea gratia formae,
ut timeam fraudem meritique oblivia nostri.
et dabit ante fidem. cogamque in foedera testes
esse deos. quin tuta times! accingere et omnem
pelle moram!'

CLXXV

Cave of Sleep

Met. XI. 592–615

Est prope Cimmerios longo spelunca recessu,
mons cavus, ignavi domus et penetralia Somni:
quo numquam radiis oriens mediusve cadensve
Phoebus adire potest. nebulae caligine mixtae
exhalantur humo dubiaeque crepuscula lucis.
non vigil ales ibi cristati cantibus oris
evocat Auroram, nec voce silentia rumpunt
sollicitive canes canibusve sagacior anser.
non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
humanaeve sonum reddunt convicia linguae.
muta quies habitat. saxo tamen exit ab imo
rivus aquae Lethes, per quem cum murmure labens
invitat somnos crepitantibus unda lapillis.
ante fores antri fecunda papavera florent
innumeraeque herbae, quarum de lacte soporem
nox legit et spargit per opacas umida terras.
ianua, ne verso stridores cardine reddat,
nulla domo tota; custos in limine nullus.
at medio torus est ebeno sublimis in antro,
plumeus, unicolor, pullo velamine tectus;
quo cubat ipse deus membris languore solutis.
hunc circa passim varias imitantia formas
somnia vana iacent totidem, quot messis aristas,
silva gerit frondes, eiectas litus harenas.

CLXXVI

Ovid on Vegetarianism

Met. XV. 88–107

Heu quantum scelus est in viscera viscera condi,
congestoque avidum pinguescere corpore corpus,
alteriusque animantem animantis vivere leto!
scilicet in tantis opibus, quas optima matrum
terra parit, nil te nisi tristia mandere saevo
vulnera dente iuvat, rictusque referre Cyclopum?
nec, nisi perdideris alium, placare voracis
et male morati poteris ieiunia ventris?
at vetus illa aetas, cui fecimus aurea nomen,

fetibus arboreis et, quas humus educat, herbis
fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
tunc et aves tutae movere per aëra pennas,
et lepus inpavidus mediis erravit in herbis,
nec sua credulitas piscem suspenderat hamo :
cuncta sine insidiis nullamque timentia fraudem
plenaque pacis erant. postquam non utilis auctor
victibus invidit, quisquis fuit ille, leonum,
corporeasque dapes avidam demersit in alvum,
fecit iter sceleri. primaque e caede ferarum
incaluisse putem maculatum sanguine ferrum.

CLXXVII

Worldly Counsels of a Procuress

Amor. I. 8. 57–82

Ecce, quid iste tuos praeter nova carmina vates
donat? amatoris milia multa leges.
ipse deus vatum palla spectabilis aurea
tractat inauratae consona fila lyrae.
qui dabit, ille tibi magno sit maior Homero :
crede mihi, res est ingeniosa dare.
nec tu, siquis erit capitis mercede redemptus,
despice : gypsati crimen inane pedis.
nec te decipiant veteres quanta atria cerae :
tolle tuos tecum, pauper amator, avos !
quin, quia pulcher erit, poscet sine munere noctem !
quod det, amatorem flagitet ante suom !
parcius exigito pretium, dum retia tendis,
ne fugiant ; captos legibus ure tuis !
nec nocuit simulatus amor ; sine credat amari,
et cave ne gratis hic tibi constet amor !
saepe nega noctes : capitis modo finge dolorem,
et modo, quae causas praebeat, Isis erit ;
mox recipe, ut nullum patiendi colligat usum,
neve relentescat saepe repulsus amor.
surda sit oranti tua ianua, laxa ferenti ;
audiat exclusi verba receptus amans ;
et, quasi laesa prior, nonnumquam irascere laeso :
vanescit culpa culpa repensa tua.
sed numquam dederis spatiosum tempus in iram :
saepe simultates ira morata facit.

CLXXVIII

The Poet sends a Letter to his Mistress

Amor. I. 11

Colligere incertos et in ordine ponere crines
docta neque ancillas inter habenda Nape
inque ministeriis furtivae cognita noctis
utilis et dandis ingeniosa notis,
saepe venire ad me dubitantem hortata Corinnam,
saepe laboranti fida reperta mihi,
accipe et ad dominam peraratas mane tabellas
perfer et obstantes sedula pelle moras!
nec silicum venae nec durum in pectore ferrum
nec tibi simplicitas ordine maior adest;
credibilest et te sensisse Cupidinis arcus:
in me militiae signa tuere tuae!
si quaeret, quid agam, spe noctis vivere dices;
cetera fert blanda cera notata manu.
dum loquor, hora fugit: vacuae bene redde tabellas;
verum continuo fac tamen illa legat!
adspicias oculos mando frontemque legentis:
e tacito vultu scire futura licet.
nec mora, perlectis rescribat multa, iubeto:
odi, cum late splendida cera vacat;
conprimat ordinibus versus, oculosque moretur
margine in extremo littera rasa meos!
quid digitos opus est graphio lassare tenendo?
hoc habeat scriptum tota tabella 'veni!'
non ego victrices lauro redimire tabellas
nec Veneris media ponere in aede morer;
subscribam 'Veneri fidas sibi Naso ministras
dedicat.' at nuper vile fuistis acer.

CLXXIX

He curses the unkind Reply

Amor. I. 12

Flete meos casus: tristes rediere tabellae!
infelix hodie littera posse negat.
omina sunt aliquid: modo cum discedere vellet
ad limen digitos restitit icta Nape.

missa foras iterum limen transire memento
cautius atque alte sobria ferre pedem !
ite hinc, difficiles, funebria ligna, tabellae,
tuque, negaturis cera referta notis,
quam, puto, de longae collectam flore cicutae
melle sub infami Corsica misit apis.
at tamquam minio penitus medicata rubebas :
ille color vere sanguinulentus erat.
proiectae triviis iaceatis, inutile lignum,
vosque rotae frangat praetereuntis onus !
illum etiam, qui vos ex arbore vertit in usum,
convincam puras non habuisse manus ;
praebuit illa arbor misero suspendia collo,
carnifici diras praebuit illa cruces ;
illa dedit turpes ravis bubonibus umbras,
vulturis in ramis et strigis ova tulit.
his ego commisi nostros insanus amores
molliaque ad dominam verba ferenda dedi !
aptius hae capiant vadimonia garrula cerae,
quas aliquis duro cognitor ore legat ;
inter ephemeridas melius tabulasque iacerent,
in quibus absumptas fleret avarus opes.
ergo ego vos rebus duplices pro nomine sensi :
auspicii numerus non erat ipse boni.
quid precer iratus, nisi vos cariosa senectus
rodat, et inmundo cera sit alba situ ?

CLXXX

Ovid defends his Choice of Poetry as his Pursuit

Amor. I. 15

Quid mihi, Livor edax, ignavos obicis annos,
ingeniique vocas carmen inertis opus ;
non me more patrum, dum strenua sustinet aetas,
praemia militiae pulverulenta sequi
nec me verbosas leges ediscere nec me
ingrato vocem prostituisse foro ?
mortalest, quod quaeris, opus : mihi fama perennis
quaeritur, in toto semper ut orbe canar.
vivet Maeonides, Tenedos dum stabit et Ide,
dum rapidas Simois in mare volvet aquas ;

vivet et Ascraeus, dum mustis uva tumebit,
dum cadet incurva falce resecta Ceres;
Battiades semper toto cantabitur orbe:
quamvis ingenio non valet, arte valet;
nulla Sophocleo veniet iactura cothurno;
cum sole et luna semper Aratus erit;
dum fallax servus, durus pater, inproba lena
vivent et meretrix blanda, Menandros erit;
Ennius arte carens animosique Accius oris
casurum nullo tempore nomen habent.
Varronem primamque ratem quae nesciet aetas,
aureaque Aesonio terga petita duci?
carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
exitio terras cum dabit una dies;
Tityrus et segetes Aeneiaque arma legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit;
donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
discentur numeri, culte Tibulle, tui;
Gallus et Hesperiis et Gallus notus Eois,
et sua cum Gallo nota Lycoris erit.
ergo, cum silices, cum dens patientis aratri
depereant aevo, carmina morte carent:
cedant carminibus reges regumque triumphi,
cedat et auriferi ripa benigna Tagi!
vilia miretur vulgus; mihi flavus Apollo
pocula Castalia plena ministret aqua,
sustineamque coma metuentem frigora myrtum
atque ita sollicito multus amante legar!
pascitur in vivis Livor, post fata quiescit,
cum suos ex merito quemque tuetur honos.
ergo etiam cum me supremus adederit ignis,
vivam, parsque mei multa superstes erit.

CLXXXI

Elegy on Tibullus

Amor. III. 9. 39–68

Iacet, ecce, Tibullus;
vix manet e toto, parva quod urna capit.
tene, sacer vates, flammae rapuere rogales
pectoribus pasci nec timuere tuis?

aurea sanctorum potuissent templa deorum
urere, quae tantum sustinuere nefas.
avertit vultus, Erycis quae possidet arces :
sunt quoque, qui lacrimas continuisse negant.
sed tamen hoc melius, quam si Phaeacia tellus
ignotum vili supposuisset humo :
hinc certe madidos fugientis pressit ocellos
mater et in cineres ultima dona tulit ;
hinc soror in partem misera cum matre doloris
venit inornatas dilaniata comas,
cumque tuis sua iunxerunt Nemesisque priorque
oscula nec solos destituere rogos.
Delia descendens 'felicius' inquit 'amata
sum tibi : vixisti, dum tuos ignis eram.'
cui Nemesis 'quid' ait 'tibi sunt mea damna dolori ?
me tenuit moriens deficiente manu.'
si tamen e nobis aliquid nisi nomen et umbra
restat, in Elysia valle Tibullus erit :
obvius huic venias hedera iuvenalia cinctus
tempora cum Calvo, docte Catulle, tuo ;
tu quoque, si falsumst temerati crimen amici,
sanguinis atque animae prodige Galle tuae.
his comes umbra tuast ; siquast modo corporis umbra,
auxisti numeros, culte Tibulle, pios.
ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna,
et sit humus cineri non onerosa tuo !

CLXXXII

Phyllis to Demophoon

Her. II. 25–66

Demophoon, ventis et verba et vela dedisti :
vela queror reditu, verba carere fide.
dic mihi, quid feci, nisi non sapienter amavi ?
crimine te potui demeruisse meo.
unum in me scelus est, quod te, scelerate, recepi,
sed scelus hoc meriti pondus et instar habet.
iura, fides ubi nunc, commissaque dextera dextrae,
quique erat in falso plurimus ore deus ?
promissus socios ubi nunc Hymenaeus in annos,
qui mihi coniugii sponsor et obses erat ?

per mare, quod totum ventis agitatur et undis,
  per quod saepe ieras, per quod iturus eras,
perque tuom mihi iurasti, nisi fictus et illest,
  concita qui ventis aequora mulcet, avom,
per Venerem nimiumque mihi facientia tela,
  altera tela arcus, altera tela faces,
Iunonemque, toris quae praesidet alma maritis,
  et per taediferae mystica sacra deae :
si de tot laesis sua numina quisque deorum
  vindicet, in poenas non satis unus eris.
at laceras etiam puppes furiosa refeci,
  ut, qua desererer, firma carina foret,
remigiumque dedi, quod me fugiturus haberes :
  heu ! patior telis vulnera facta meis !
credidimus blandis, quorum tibi copia, verbis,
  credidimus generi nominibusque tuis,
credidimus lacrimis : an et hae simulare docentur ?
  hae quoque habent artes, quaque iubentur, eunt ?
dis quoque credidimus. quo iam tot pignora nobis ?
  parte satis potui qualibet inde capi.
nec moveor, quod te iuvi portuque locoque :
  (debuit haec meriti summa fuisse mei !)
turpiter hospitium lecto cumulasse iugali
  paenitet et lateri conseruisse latus.
quae fuit ante illam, mallem suprema fuisset
  nox mihi, dum potui Phyllis honesta mori.
speravi melius, quia me meruisse putavi :
  quaecumque ex merito spes venit, aequa venit.
fallere credentem non est operosa puellam
  gloria : simplicitas digna favore fuit.
sum decepta tuis et amans et femina verbis :
  di faciant, laudis summa sit ista tuae.

CLXXXIII

Medea to Jason

Her. xii. 67–92

Est nemus et piceis et frondibus ilicis atrum,
  vix illuc radiis solis adire licet ;
sunt in eo (fuerant certe) delubra Dianae,
  aurea barbarica stat dea facta manu :

(noscis? an exciderunt mecum loca?) venimus illuc;
orsus es infido sic prior ore loqui:
'ius tibi et arbitrium nostrae fortuna salutis
tradidit, inque tuast vitaque morsque manu.
perdere posse sat est, siquem iuvet ipsa potestas:
sed tibi servatus gloria maior ero.
per mala nostra precor, quorum potes esse levamen,
per genus et numen cuncta videntis avi,
per triplicis vultus arcanaque sacra Dianae
et si forte aliquos gens habet ista deos,
o virgo, miserere mei, miserere meorum;
effice me meritis tempus in omne tuom!
quodsi forte virum non dedignare Pelasgum,
(sed mihi tam faciles unde meosque deos?)
spiritus ante meus tenues vanescat in auras,
quam thalamo nisi tu nupta sit ulla meo!
conscia sit Iuno sacris praefecta maritis
et dea, marmorea cuius in aede sumus!'
haec animum (et quota pars haec sunt?) movere puellae
simplicis et dextrae dextera iuncta meae;
vidi etiam lacrimas (a! pars est fraudis in illis):
sic cito sum verbis capta puella tuis.

CLXXXIV

Advice to a Lover

Art. Am. I. 455–486

Ergo eat et blandis peraretur littera verbis
exploretque animos primaque temptet iter:
littera Cydippen pomo perlata fefellit,
insciaquest verbis capta puella suis.
disce bonas artes, moneo, Romana iuventus,
non tantum trepidos ut tueare reos:
quam populus iudexque gravis lectusque senatus,
tam dabit eloquio victa puella manus.
sed lateant vires, nec sis in fronte disertus;
effugiant voces verba molesta tuae!
quis, nisi mentis inops, tenerae declamat amicae?
saepe valens odii littera causa fuit.
sit tibi credibilis sermo consuetaque verba,
blanda tamen, praesens ut videare loqui.

si non accipiet scriptum inlectumque remittet,
lecturam spera propositumque tene!
tempore difficiles veniunt ad aratra iuvenci,
tempore lenta pati frena docentur equi;
ferreus adsiduo consumitur anulus usu,
interit adsidua vomer aduncus humo.
quid magis est saxo durum, quid mollius unda?
dura tamen molli saxa cavantur aqua.
Penelopen ipsam, persta modo, tempore vinces;
capta vides sero Pergama, capta tamen.
legerit et nolit rescribere, cogere noli:
tu modo blanditias fac legat usque tuas!
quae voluit legisse, volet rescribere lectis:
per numeros venient ista gradusque suos.
forsitan et primo veniet tibi littera tristis,
quaeque roget ne se sollicitare velis:
quod rogat illa, timet; quod non rogat, optat, ut instes;
insequere, et voti postmodo compos eris!

CLXXXV

Beauty alone is not Enough in a Girl

Art. Am. II. 107–138

Ut ameris, amabilis esto,
quod tibi non facies solave forma dabit!
sit licet antiquo Nireus adamatus Homero,
Naiadumque tener crimine raptus Hylas,
ut dominam teneas nec te mirere relictum,
ingenii dotes corporis adde bonis!
forma bonum fragilest, quantumque accedit ad annos,
fit minor et spatio carpitur ipsa suo:
nec violae semper nec hiantia lilia florent,
et riget amissa spina relicta rosa;
et tibi iam venient cani, formose, capilli,
iam venient rugae, quae tibi corpus arent:
iam molire animum, qui duret, et adstrue formae:
solus ad extremos permanet ille rogos.
nec levis ingenuas pectus coluisse per artes
cura sit et linguas edidicisse duas;
non formosus erat, sed erat facundus, Ulixes
et tamen aequoreas torsit amore deas:

o ! quotiens illum doluit properare Calypso
remigioque aptas esse negavit aquas !
haec Troiae casus iterumque iterumque rogabat,
ille referre aliter saepe solebat idem ;
litore constiterant : illic quoque pulchra Calypso
exigit Odrysii fata cruenta ducis ;
ille levi virga (virgam nam forte tenebat)
quod rogat, in spisso litore pingit opus.
'haec' inquit 'Troiast,' (muros in litore fecit)
'hic tibi sit Simois ; haec mea castra puta !
campus erat,' (campumque facit) 'quem caede Dolonis
sparsimus, Haemonios dum vigil optat equos.
illic Sithonii fuerant tentoria Rhesi ;
hac ego sum captis nocte revectus equis.'

CLXXXVI

Love's Euphemisms

Art. Am. II. 641–668

Parcite praecipue vitia exprobrare puellis,
utile quae multis dissimulasse fuit :
nec suos Andromedae color est obiectus ab illo,
mobilis in gemino cui pede pinna fuit ;
omnibus Andromache visast spatiosior aequo :
unus, qui modicam diceret, Hector erat.
quod male fers, adsuesce : feres bene ; multa vetustas
lenit, at incipiens omnia sentit amor.
dum novus in viridi coalescit cortice ramus,
concutiat tenerum quaelibet aura, cadet ;
mox etiam ventis spatio durata resistet
firmaque adoptivas arbor habebit opes.
eximit ipsa dies omnes e corpore mendas,
quodque fuit vitium, desinit esse mora :
ferre novae nares taurorum terga recusant ;
adsiduo domitas tempore fallit odor.
nominibus mollire licet mala : fusca vocetur,
nigrior Illyrica cui pice sanguis erit ;
si paetast, Veneri similis, si rava, Minervae ;
sit gracilis, macie quae male viva suast ;
dic habilem, quaecumque brevis, quae turgida, plenam,
et lateat vitium proximitate boni.

nec quotus annus eat, nec quo sit nata require
consule, quae rigidus munera censor habet,
praecipue si flore caret, meliusque peractum
tempus, et albentes iam legit illa comas.
utilis, o iuvenes, aut haec aut serior aetas:
iste feret segetes, iste serendus ager.

CLXXXVII

Ovid recommends the Teaching of his *Medicamina Faciei*

Art. Am. III. 205–234

Est mihi, quo dixi vestrae medicamina formae,
parvus, sed cura grande, libellus, opus:
hinc quoque praesidium laesae petitote figurae!
non est pro vestris ars mea rebus iners.
non tamen expositas mensa deprendat amator
pyxidas: ars faciem dissimulata iuvat.
quem non offendat toto faex inlita vultu,
cum fluit in tepidos pondere lapsa sinus?
oesopa quid redolent, quamvis mittatur Athenis
demptus ab inmundo vellere sucus ovis?
nec coram mixtas cervae sumpsisse medullas
nec coram dentes defricuisse probem;
ista dabunt formam, sed erunt deformia visu,
multaque, dum fiunt, turpia, facta placent:
quae nunc nomen habent operosi signa Myronis,
pondus iners quondam duraque massa fuit;
anulus ut fiat, primo conliditur aurum;
quas geritis vestes, sordida lana fuit;
cum fieret, lapis asper erat; nunc, nobile signum,
nuda Venus madidas exprimit imbre comas.
tu quoque dum coleris, nos te dormire putemus:
aptius a summa conspiciere manu.
cur mihi nota tuo causasti candoris in ore?
claude forem thalami! quid rude prodis opus?
multa viros nescire decet; pars maxima rerum
offendat, si non interiora tegas:
aurea quae splendent ornato signa theatro,
inspice, quam tenuis brattea ligna tegat;
sed neque ad illa licet populo, nisi facta, venire,
nec nisi summotis forma paranda viris.

CLXXXVIII

Cures for Love

Remed. Am. 721–758

Thestias absentem succendit stipite natum :
tu timide flammae perfida verba dabis ?
si potes, et ceras remove ! quid imagine muta
carperis ? hoc periit Laudamia modo.
. . . . . .
admonitus refricatur amor, vulnusque novatum
scinditur : infirmis culpa pusilla nocet.
ut paene exstinctum cinerem si sulpure tangas,
vivet et e minimo maximus ignis erit,
sic, nisi vitaris, quidquid renovabit amorem,
flamma redardescet, quae modo nulla fuit.
Argolides cuperent fugisse Capherea puppes,
teque, senex luctus ignibus ulte tuos ;
praeterita cautus Niseide navita gaudet :
tu loca, quae nimium grata fuere, cave !
haec tibi sint Syrtes ; haec Acroceraunia vita ;
hic vomit epotas dira Charybdis aquas.
sunt, quae non possunt aliquo cogente iuberi,
saepe tamen casu facta iuvare solent.
perdat opes Phaedra : parces, Neptune, nepoti,
nec faciet pavidos taurus avitus equos.
Gnosida fecisses inopem, sapienter amasset :
divitiis alitur luxuriosus amor.
cur nemost, Hecalen, nullast, quae ceperit Iron ?
nempe quod alter egens, altera pauper erat.
non habet, unde suom paupertas pascat amorem :
non tamen hoc tantist, pauper ut esse velis.
at tanti tibi sit, non indulgere theatris,
dum bene de vacuo pectore cedat amor.
enervant animos citharae lotosque lyraeque
et vox et numeris bracchia mota suis.
illic adsidue ficti saltantur amantes :
quid caveas, actor, quid iuvet, arte docet.
eloquar invitus : teneros ne tange poëtas !
summoveo dotes ipsius ipse meas.

CLXXXIX

Flora defends by Precedents her Anger at the Neglect of her Rites

Fasti v. 297–326

Nos quoque tangit honor. festis gaudemus et aris,
turbaque caelestes ambitiosa sumus.
saepe deos aliquis peccando fecit iniquos,
et pro delictis hostia blanda fuit.
saepe Iovem vidi, cum iam sua mittere vellet
fulmina, ture dato sustinuisse manum.
at si neglegimur, magnis iniuria poenis
solvitur, et iustum praeterit ira modum.
respice Thestiaden : flammis absentibus arsit ;
causa est, quod Phoebes ara sine igne fuit.
respice Tantaliden : eadem dea vela tenebat.
virgost, et spretos bis tamen ulta focos.
Hippolyte infelix, velles coluisse Dionen,
cum consternatis diripereris equis.
longa referre mora est correcta oblivia damnis.
me quoque Romani praeteriere patres.
quid facerem, per quod fierem manifesta doloris ?
exigerem nostrae qualia damna notae ?
excidit officium tristi mihi. nulla tuebar
rura, nec in pretio fertilis hortus erat :
lilia deciderant, violas arere videres,
filaque punicei languida facta croci.
saepe mihi Zephyrus 'dotes corrumpere noli
ipsa tuas' dixit. dos mihi vilis erat.
florebant oleae, venti nocuere protervi :
florebant segetes, grandine laesa Ceres :
in spe vitis erat, caelum nigrescit ab austris
et subita frondes decutiuntur aqua.
nec volui fieri, nec sum crudelis in ira ;
cura repellendi sed mihi nulla fuit.

CXC

Ovid describes his earlier Years

Tristia iv. x. 21–58

Saepe pater dixit 'studium quid inutile temptas ?
Maeonides nullas ipse reliquit opes.'

motus eram dictis, totoque Helicone relicto
scribere temptabam verba soluta modis.
sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
et quod temptabam scribere, versus erat.
interea tacito passu labentibus annis
liberior fratri sumpta mihique togast,
induiturque umeris cum lato purpura clavo,
et studium nobis, quod fuit ante, manet.
iamque decem vitae frater geminaverat annos,
cum perit, et coepi parte carere mei.
cepimus et tenerae primos aetatis honores,
eque viris quondam pars tribus una fui.
curia restabat. clavi mensura coactast:
maius erat nostris viribus illud onus.
nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,
sollicitaeque fugax ambitionis eram,
et petere Aoniae suadebant tuta sorores
otia, iudicio semper amata meo.
temporis illius colui fovique poëtas,
quotque aderant vates, rebar adesse deos.
saepe suas volucres legit mihi grandior aevo,
quaeque nocet serpens, quae iuvat herba, Macer.
saepe suos solitus recitare Propertius ignes
iure sodalitii, quo mihi iunctus erat.
Ponticus heroo, Bassus quoque clarus iambis
dulcia convictus membra fuere mei;
et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
dum ferit Ausonia carmina culta lyra.
Virgilium vidi tantum; nec amara Tibullo
tempus amicitiae fata dedere meae.
successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi;
quartus ab his serie temporis ipse fui.
utque ego maiores, sic me coluere minores,
notaque non tarde facta Thalia mea est.
carmina cum primum populo iuvenalia legi,
barba resecta mihi bisve semelve fuit.

CXCI

A Letter from Exile

Pont. IV. XIV. 1–30

Haec tibi mittuntur, quem sum modo carmine questus
non aptum numeris nomen habere meis:
in quibus, excepto quod adhuc utcumque valemus,
nil, me praeterea quod iuvet, invenies.
ipsa quoquest invisa salus, suntque ultima vota,
quolibet ex istis scilicet ire locis.
nulla mihi curast, terra quo muter ab ista,
hac quia, quam video, gratior omnis erit.
in medias Syrtes, mediam mea vela Charybdin
mittite, praesenti dum carcamus humo.
Styx quoque, siquid eaest, bene commutabitur Histro;
siquid et inferius, quam Styga, mundus habet.
gramina cultus ager, frigus minus odit hirundo,
proxima Marticolis quam loca Naso Getis.
talia succensent propter mihi verba Tomitae,
iraque carminibus publica mota meis.
ergo ego cessabo numquam per carmina laedi,
plectar et incauto semper ab ingenio?
ergo ego, ne scribam, digitos incidere cunctor,
telaque adhuc demens, quae nocuere, sequor?
ad veteres scopulos iterum devertor et illas,
in quibus offendit naufraga puppis, aquas?
sed nihil admisi: nulla est mea culpa, Tomitae,
quos ego, cum loca sim vestra perosus, amo.
quilibet excutiat nostri monimenta laboris:
littera de vobis est mea questa nihil.
frigus et incursus omni de parte timendos
et quod pulsetur murus ab hoste, queror.
in loca, non homines, verissima crimina dixi.
culpatis vestrum vos quoque saepe solum.

GRATTIUS (fl. end of Augustan Age)

CXCII

The Points and early Training of a so-called 'Metagon' Hound, which was a Cross between the Spartan and Cretan Breed

Cynegetica I. 269–327

Sint celsi vultus, sint hirtae frontibus aures,
os magnum, et patulis agitatos naribus ignes
spirent, adstricti succingant ilia ventres,
cauda brevis, longumque latus, discretaque collo
caesaries, non pexa nimis, non frigoris illa
impatiens: validis tum surgat pectus ab armis,
quod magnos capiat motus, magnisque supersit.
effuge, qui lata pandit vestigia planta:
mollis in officio; siccis ego dura lacertis
crura velim, et solidos haec in certamina calces.

. . . . . .

da requiem gravidae, solitosque remitte labores.
vix oneri super illa suo. tum deinde monebo,
ne matrem indocilis natorum turba fatiget,
percensere notis, iamque inde excernere pravos.
signa dabunt ipsi: teneris vix artubus haeret
ille tuos olim non defecturus honores;
iamque illum impatiens aequae vehementia sortis
extulit; affectat materna regna sub alvo;
ubera tota tenet, stat tergo liber aperto,
dum tepida indulget terris clementia mundi.
verum, ubi Caurino perstrinxit frigore vesper,
ira iacet, turbaque potens operitur inerti.
illius et manibus vires sit cura futuras
perpensare: levis deducet pondere fratres.
haec de pignoribus, nec te mea carmina fallent.
protinus et cultus alios et debita fetae
blandimenta feres, curaque sequere merentem:
illa perinde suo saturat de lacte minores
ac longam praestabit opem; tum denique, fetae
cum desunt operi, fregitque industria matres,
transeat in catulos omnis tutela relictos.
lacte novam pubem, facilique tuebere maza;

nec luxus alios, avidaeque impendia vitae
noscant: haec magno redit indulgentia damno.
nec mirum: humanos non est magis altera sensus.
tollit se ratio, et vitiis adeuntibus obstat.
haec illa est Pharios quae fregit noxia reges,
dum servata cavis potant Mareotica gemmis,
nardiferumque metunt Gangem, vitiisque ministrant.
sic et Achaemenio cecidisti, Lydia, Cyro:
atqui dives eras, fluvialibus aurea venis.
tu quoque luxuriae fictas dum colligis artes,
et sequeris demens alienam, Graecia, culpam,
scilicet ad summam ne quid restaret habendum,
o quantum et quoties decoris frustrata paterni!
at qualis nostris quam simplex mensa Camillis!
qui tibi cultus erat post tot, Serrane, triumphos!
ergo illi ex habitu, virtutisque indole priscae,
imposuere orbi Romam caput: actaque ab illis
ad caelum virtus, summosque tetendit honores.
scilicet exiguis magna sub imagine rebus
prospicies, quae sit ratio, et quo fine regendae.

PEDO ALBINOVANUS (fl. end of Augustan Age)

CXCIII

'Perilous Seas in Fairy Lands forlorn'

Iam pridem post terga diem solemque relinquunt,
iam pridem notis extorres finibus orbis
per non concessas audaces ire tenebras
ad rerum metas extremaque litora mundi.
nunc illum pigris immania monstra sub undis
qui ferat Oceanum, qui saevas undique pistres
aequoreosque canes, ratibus consurgere prensis—
accumulat fragor ipse metus—iam sidere limo
navigia et rapido desertam flamine classem
seque feris credunt per inertia fata marinis
tam non felici laniandos sorte relinqui.
atque aliquis prora caecum sublimis ab alta
aëra pugnaci luctatus rumpere visu,
ut nihil erepto valuit dignoscere mundo,

obstructa in tales effundit pectora voces :
quo ferimur ? fugit ipse dies orbemque relictum
ultima perpetuis claudit natura tenebris.
anne alio positas ultra sub cardine gentes
atque alium flabris intactum quaerimus orbem ?
di revocant rerumque vetant cognoscere finem
mortales oculos : aliena quid aequora remis
et sacras violamus aquas divumque quietas
turbamus sedes ?

CORNELIUS SEVERUS (fl. end of Augustan Age)

CXCIV

A Lament for Cicero

Oraque magnanimum spirantia paene virorum
in rostris iacuere suis : sed enim abstulit omnes,
tamquam sola foret, rapti Ciceronis imago.
tunc redeunt animis ingentia consulis acta
iurataeque manus deprensaque foedera noxae
patriciumque nefas extinctum : poena Cethegi
deiectusque redit votis Catilina nefandis.
quid favor aut coetus, pleni quid honoribus anni
profuerant ? sacris exculta quid artibus aetas ?
abstulit una dies aevi decus, ictaque luctu
conticuit Latiae tristis facundia linguae.
unica sollicitis quondam tutella salusque,
egregium semper patriae caput, ille senatus
vindex, ille fori, legum ritusque togaeque
publica vox saevis aeternum obmutuit armis.
informes voltus sparsamque cruore nefando
canitiem sacrasque manus operumque ministras
tantorum pedibus civis proiecta superbis
proculcavit ovans nec lubrica fata deosque
respexit. Nullo luet hoc Antonius aevo.
hoc neque in Emathio mitis victoria Perse,
nec te, dive Syphax, non fecerat hoste Philippo ;
inque triumphato ludibria cuncta Iugurtha
afuerant, nostraque cadens ferus Hannibal ira
membra tamen Stygias tulit inviolata sub umbras.

M. MANILIUS (fl. 1–20 A.D.)

CXCV

The Argument from Design

Astron. I. 476–503

Nec quicquam in tanta magis est mirabile mole,
quam ratio et certis quod legibus omnia parent.
nusquam turba nocet, nihil ullis partibus errat,
laxius et levius mutatove ordine fertur.
quid tam confusum specie, quid tam vice certum est?
ac mihi tam praesens ratio non ulla videtur,
qua pateat mundum divino numine verti,
atque ipsum esse deum, nec forte coisse magistra,
ut voluit credi qui primus moenia mundi
seminibus struxit minimis, inque illa resolvit:
e quis et maria et terras et sidera caeli
aetheraque immensos fabricantem finibus orbes
solventemque alios constare, et cuncta reverti
in sua principia et rerum mutare figuras.
quis credat tantas operum sine numine moles
ex minimis caecoque creatum foedere mundum?
si fors ista dedit nobis, fors ipsa gubernet.
at cur dispositis vicibus consurgere signa,
et velut imperio praescriptos reddere cursus
cernimus, ac nullis properantibus ulla relinqui?
cur eadem aestivas exornant sidera noctes
semper, et hibernas eadem? certamque figuram
quisque dies reddit mundo, certamque relinquit?
iam tum, cum Graiae verterunt Pergama gentes,
Arctos et Orion adversis frontibus ibant,
haec contenta suos in vertice flectere gyros,
ille ex diverso vertentem surgere contra
obvius et toto semper decurrere mundo.

CXCVI

Comets portend coming Disasters

Astron. I. 884–918

Qualis Erechtheos pestis populata colonos
extulit antiquas per funera pacis Athenas,

alterum in alterius labem cum fata ruebant.
nec locus artis erat medici, nec vota valebant.
cesserat officium morbis, et funera deerant
mortibus et lacrimae. lassus defecerat ignis,
nec coacervatis ardebant corpora membris,
ac tanto quondam populo vix contigit heres.
talia significant lucentes saepe cometae;
funera cum facibus veniunt terrisque minantur
ardentes sine fine rogos, cum mundus et ipsa
aegrotet natura novum sortita sepulcrum.
quin et bella canunt ignes subitosque tumultus,
et clandestinis surgentia fraudibus arma,
externas modo per gentes, ut foedere rupto
cum fera ductorem rapuit Germania Varum
infecitque trium legionum sanguine campos,
arserunt toto passim minitantia mundo
lumina, et ipsa tulit bellum natura per ignes,
opposuitque suas vires finemque minata est.
nec mirere graves rerumque hominumque ruinas.
saepe domi culpa est, nescimus credere caelo.
civiles etiam motus cognataque bella
significant. nec plura alias incendia mundus
sustinuit, quam cum ducibus iurata cruentis
arma Philippeos implerunt agmine campos,
vixque etiam sicca miles Romanus harena
ossa virum lacerosque prius superadstitit artus,
imperiumque suis conflixit viribus ipsum,
perque patris pater Augustus vestigia vicit.
necdum finis erat: restabant Actia bella
dotali commissa acie, repetitaque rerum
alea et in ponto quaesitus rector Olympi,
femineum sortita iugum cum Roma pependit
atque ipsa Isiaco certarunt fulmina sistro.

CXCVII

The Points of the Compass

Astron. II. 788–807

Ergo age, noscendis animum compone sagacem
cardinibus qui per mundum sunt quattuor omnes
dispositi semper mutantque volantia signa.

unus ab exortu caeli nascentis in orbem
qua primum terras aequali limite cernit.
alter ab adversa respondens aetheris ora,
unde fugit mundus praecepsque in Tartara tendit.
tertius excelsi signat vestigia caeli
quo defessus equis Phoebus subsistit anhelis
discernitque diem mediamque examinat horam.
ima tenet quartus fundato nobilis orbe
in quo principium est reditus finisque cadendi
sideribus, pariterque occasus cernit et ortus.
haec loca praecipuas vires summosque per artem
fatorum effectus referunt, quod totus in illis
nititur aethereis veluti compagibus orbis.
quae nisi perpetuis alterna sorte volantem
cursibus excipiant nectantque in vincula, bina
per latera atque imum templi summumque cacumen,
dissociata fluat resoluto machina mundo.

CXCVIII

Manilius compares his own Theme with those of previous Poets

Astron. III. 1–42

In nova surgentem, maioraque viribus ausum,
nec per inaccessos metuentem invadere saltus
ducite, Pierides. vestros extendere fines
conor et indictos in carmina ducere cantus.
non ego in excidium caeli nascentia bella,
fulminis et flammas, partus in matre sepultos;
non coniuratos reges, Troiaque cadente
Hectora venalem cineri, Priamumque ferentem;
Colchida nec referam vendentem regna parentis,
et lacerum fratrem stupro segetesque virorum,
taurorumque truces flammas, vigilemque draconem
et reduces annos auroque incendia facta
et male conceptos partus peiusque necatos;
non annosa canam Messanae bella nocentis;
septenosque duces, ereptaque fulmine flammis
moenia Thebarum et victam, quia vicerat, urbem,
germanosque patris referam, matrisque nepotes,
natorumque epulas, conversaque sidera retro,

ereptumque diem; nec Persica bella profundo
indicta et magna pontum sub classe latentem,
immissumque fretum terris, iter aequoris undis;
non regis magni spatio maiore canenda,
quam sint acta, loquar; Romanae gentis origo,
totque duces, orbis tot bella atque otia et omnis
in populi unius leges ut cesserit orbis,
differtur. facile est, ventis dare vela secundis
fecundumque solum varias agitare per artes,
auroque atque ebori decus addere, cum rudis ipsa
materies niteat: speciosis condere rebus
carmina vulgatum est opus et componere simplex:
at mihi per numeros ignotaque nomina rerum,
temporaque et varios casus, momentaque mundi,
signorumque vices, partesque in partibus ipsis
luctandum est, quae nosse nimis, quid? dicere, quantum est?
carmine, quid, proprio? pedibus, quid, iungere certis?
huc ades, o quicunque meis advertere coeptis
aurem oculosque potes, veras et percipe voces!
impendas animum; nec dulcia carmina quaeras.
ornari res ipsa negat, contenta doceri.
et si qua externa referentur nomina lingua,
hoc operis, non vatis erit; non omnia flecti
possunt et propria melius sub voce notantur.

CXCIX

On Fate

Astron. IV. 94–118

Quin etiam infelix virtus et noxia felix,
et male consultis pretium est, prudentia fallit,
nec Fortuna probat causas, sequiturque merentes,
sed vaga per cunctos nullo discrimine fertur.
scilicet est aliud quod nos cogatque regatque
maius et in proprias ducat mortalia leges,
adtribuatque suos ex se nascentibus annos,
fortunaeque vices. permiscet saepe ferarum
corpora cum membris hominum; non seminis ille
partus erit: quid enim nobis commune ferisque,
quisve in portenti noxam peccarit adulter?
astra novant formas, caelumque interpolat ora.

denique si non est, fati cur traditur ordo,
cunctaque temporibus certis ventura canuntur?
nec tamen haec ratio facinus defendere pergit,
virtutemve suis fraudare in praemia donis;
nam neque mortiferas quisquam minus oderit herbas,
quod non arbitrio veniunt, sed semine certo,
gratia nec levior tribuetur dulcibus escis,
quod natura dedit fruges, non ulla voluntas:
sic hominum meritis tanto fit gloria maior,
quod caelo suadente venit, rursusque nocentes
oderimus magis in culpam poenasque creatos.
nec refert, scelus unde cadat: scelus esse fatendum.
hoc quoque fatale est, sic ipsum expendere fatum.

CC

Andromeda and Perseus

Astron. v. 538–619

Andromedae sequitur sidus quae Piscibus ortis
bis sex in partes caelo venit aurea dextro.
hanc quondam poenae dirorum culpa parentum
prodidit, infestus totis cum finibus omnis
incubuit pontus, timuit navifraga tellus.
et quod erat regnum, pelagus fuit; una malorum
proposita est merces: vesano dedere ponto
Andromedan, teneros ut belua manderet artus.
hic Hymenaeus erat, solataque publica damna
privatis, lacrimans ornatur victima poenae,
induiturque sinus non haec ad vota paratos,
virginis et vivae rapitur sine funere funus.
ac simul infesti ventum est ad litora ponti,
mollia per duras panduntur brachia cautes,
adstrinxere pedes scopulis, iniectaque vincla,
et cruce virginea moritura puella pependit.
servatur tamen in poena cultusque pudorque.
supplicia ipsa decent; nivea cervice reclinis,
molliter ipsa suae custos est ipsa figurae.
defluxere sinus umeris, fugitque lacertos
vestis et effusi scapulis haesere capilli.
ter circum Alcyones pinnis planxere volantes
fleveruntque tuos miserando carmine casus

et tibi contextas umbram fecere per alas.
ad tua sustinuit fluctus spectacula pontus,
adsuetasque sibi desiit perfundere ripas,
extulit et liquido Nereis ab aequore vultum
et casus miserata tuos roravit et undas.
ipsa levi flatu refovens pendentia membra
aura per extremas resonavit flebile rupes.
tandem Gorgonei victorem Persea monstri
felix illa dies redeuntem ad litora duxit.
isque ubi pendentem vidit de rupe puellam,
deriguit facie quam non stupefecerat hostis,
vixque manu spolium tenuit, victorque Medusae
victus in Andromedast. iam cautibus invidet ipsis,
felicesque vocat teneant quae membra catenas.
et postquam poenae causam cognovit ab ipsa,
destinat in thalamos per bellum vadere ponto,
altera si Gorgo veniat non territus ire.
concitat aërios cursus, flentesque parentes
promissu vitae recreat, pactusque maritum
ad litus remeat. gravidus iam surgere pontus
coeperat et longo fugiebant agmine fluctus
impellentis onus monstri. caput eminet undis
scindentis, pelagusque vomit, circumsonat aequor
dentibus, inque ipso rapidum mare navigat ore.
hinc vasti turgent immensis torquibus orbes,
tergaque consumunt pelagus ; sonat undique Phorcys
atque ipsi metuont montes scopulique ruentem.
infelix virgo, quamvis sub vindice tanto,
quae tua tunc fuerat facies ! quam fugit in auras
spiritus ! ut toto caruerunt sanguine membra,
cum tua fata cavis e rupibus ipsa videres,
adnantemque tibi Poenam, pelagusque ferentem,
quantula praeda maris ! quantis hic subvolat undis
Perseus ! et caelo pendens iaculatur in hostem,
Gorgoneo tinctum defigens sanguine ferrum.
illa subit contra, versoque a gurgite frontem
erigit et tortis innitens orbibus alte
emicat ac toto sublimis corpore fertur.
sed quantum illa subit, seque eiaculata profundost,
in tantum revolat, laxumque per aethera ludit
Perseus et ceti subeuntis verberat ora.
nec cedit tamen illa viro, sed saevit in auras

morsibus et vani crepitant sine vulnere dentes ;
efflat et in caelum pelagus, mergitque volantem
sanguineis undis, pontumque extollit in astra.
spectabat pugnam pugnandi causa puella ;
iamque oblita sui metuit pro vindice tali
suspirans, animoque magis quam corpore pendet.
tandem confossis subsedit belua membris
plena maris, summasque iterum remeavit ad undas
et magnum vasto contexit corpore pontum,
tunc quoque terribilis nec virginis ore videnda.
perfundit liquido Perseus in marmore corpus,
maior et ex undis ad cautes pervolat altas,
solvitque haerentem vinclis de rupe puellam
desponsam, pugna nupturam dote mariti.
hic dedit Andromedae caelum, stellisque sacravit
mercedem tanti belli, quo concidit ipsa
Gorgone non levius monstrum, pelagusque levavit.

PHAEDRUS (fl. 30–40 A.D.)

CCI

King Log and King Snake

I. 2. 10–30

Ranae, vagantes liberis paludibus,
clamore magno regem petiere a Iove,
qui dissolutos mores vi compesceret.
pater deorum risit, atque illis dedit
parvum tigillum, missum quod subito vadi
motu sonoque terruit pavidum genus.
hoc mersum limo cum iaceret diutius,
forte una tacite profert e stagno caput,
et explorato rege cunctas evocat.
illae, timore posito, certatim adnatant,
lignumque supra turba petulans insilit :
quod cum inquinassent omni contumelia,
alium rogantes regem misere ad Iovem ;
inutilis quoniam esset, qui fuerat datus.
tum misit illis hydrum, qui dente aspero
corripere coepit singulas : frustra necem

fugitant inertes : vocem praecludit metus.
furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iovem,
afflictis ut succurrat. tum contra deus :
quia noluistis vestrum ferre, inquit, bonum,
malum perferte.

CCII

The Frog and the Ox

I. 24

Inops, potentem dum vult imitari, perit.
in prato quondam rana conspexit bovem
et tacta invidia tantae magnitudinis
rugosam inflavit pellem ; tum natos suos
interrogavit, an bove esset latior.
illi negarunt. rursus intendit cutem
maiore nisu et simili quaesivit modo,
quis maior esset. illi dixerunt bovem.
novissime indignata dum vult validius
inflare sese, rupto iacuit corpore.

CCIII

The Busy-Body

II. 5

Est ardelionum quaedam Romae natio,
trepide concursans, occupata in otio,
gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
sibi molesta et aliis odiosissima :
hanc emendare, si tamen possum, volo
vera fabella : pretium est operae attendere.
Caesar Tiberius cum petens Neapolim
in Misenensem villam venisset suam,
quae monte summo posita Luculli manu
prospectat Siculum et respicit Tuscum mare :
ex alticinctis unus atriensibus,
cui tunica ab humeris linteo Pelusio
erat destricta, cirris dependentibus,
perambulante laeta domino viridia,
alveolo coepit ligneo conspergere
humum aestuantem, iactans officium leve :

sed deridetur. inde notis flexibus
praecurrit alium in xystum, sedans pulverem.
agnoscit hominem Caesar, remque intelligit.
id ut putavit esse nescio quid boni,
heus! inquit dominus. ille enimvero assilit,
donationis alacer certae gaudio.
tum sic iocata est tanta maiestas ducis:
non multum egisti, et opera nequiquam perit;
multo maioris alapae mecum veneunt.

CCIV

The Wolf and the Watch-Dog

III. 7

Quam dulcis sit libertas, breviter proloquar.
cani perpasto macie confectus lupus
forte occurrit. salutantes dein invicem
ut restiterunt: 'unde sic, quaeso, nites?
aut quo cibo fecisti tantum corporis?
ego, qui sum longe fortior, pereo fame.'
canis simpliciter: 'eadem est condicio tibi,
praestare domino si par officium potes.'
'quod?' inquit ille. 'custos ut sis liminis,
a furibus tuearis et noctu domum.'
'ego vero sum paratus: nunc patior nives
imbresque in silvis asperam vitam trahens:
quanto est facilius mihi sub tecto vivere
et otiosum largo satiari cibo!'
'veni ergo mecum.' dum procedunt, adspicit
lupus a catena collum detritum canis.
'unde hoc, amice?' 'nihil est.' 'dic, quaeso, tamen.'
'quia videor acer, adligant me interdiu,
luce ut quiescam et vigilem, nox cum venerit;
crepusculo solutus, qua visum est, vagor.
adfertur ultro panis; de mensa sua
dat ossa dominus; frusta iactat familia
et quod fastidit quisque pulmentarium.
sic sine labore venter impletur meus.'
'age, abire siquo est animus, est licentia?'
'non plane est,' inquit. 'fruere quae laudas, canis:
regnare nolo, liber ut non sim mihi.'

CCV

Simonides and the Dioscuri

iv. 25. 4–33

Simonides idem ille de quo rettuli
victori laudem cuidam pyctae ut scriberet,
certo conductus pretio secretum petit.
exigua cum frenaret materia impetum,
usus poëtae more est et licentia
atque interposuit gemina Ledae pignora,
auctoritatem similis referens gloriae.
opus adprobavit; sed mercedis tertiam
accepit partem. cum relicuam posceret:
illi, inquit, reddent quorum sunt laudis duae.
verum, ut ne irate te dimissum censeas,
ad cenam mihi promitte; cognatos volo
hodie invitare quorum es in numero mihi.
fraudatus quamvis et dolens iniuria,
ne male dissimulans gratiam conrumperet,
promisit. rediit hora dicta, recubuit.
splendebat hilare poculis convivium,
magno adparatu laeta resonabat domus:
repente duo cum iuvenes sparsi pulvere,
sudore multo diffluentes, corpore
humanam supra formam, cuidam servulo
mandant, ut ad se provocet Simonidem;
illius interesse, ne faciat moram.
homo perturbatus excitat Simonidem.
unum promorat vix pedem triclinio,
ruina camarae subito oppressit ceteros;
nec ulli iuvenes sunt reperti ad ianuam.
ut est vulgatus ordo narratae rei,
omnes scierunt numinum praesentiam
vati dedisse vitam mercedis loco.

CCVI

Time

v. 8

Cursu volucri, pendens in novacula,
calvus, comosa fronte, nudo occipitio

(quem si occuparis, teneas ; elapsum semel
non ipse possit Iuppiter reprehendere),
occasionem rerum significat brevem.
effectus impediret ne segnis mora,
finxere antiqui talem effigiem Temporis.

L. ANNAEUS SENECA (d. 63 A.D.)

CCVII

The Doom of the Argonauts

Medea 608–652

quisquis audacis tetigit carinae
nobiles remos, nemorisque sacri
Pelion densa spoliavit umbra ;
quisquis intravit scopulos vagantes,
et tot emensus pelagi labores
barbara funem religavit ora,
raptor externi rediturus auri ;
exitu diro temerata ponti
iura piavit.
exigit poenas mare provocatum.
Tiphys in primis domitor profundi
liquit indocto regimen magistro ;
litore extremo procul a paternis
occidens regnis, tumuloque vili
tectus, ignotas iacet inter umbras.
Aulis amissi memor inde regis
portubus lentis retinet carinas
stare querentes.
ille vocali genitus Camena,
cuius ad chordas modulante plectro
restitit torrens, siluere venti,
cui suo cantu volucris relicto
adfuit tota comitante silva,
Thracios sparsus iacuit per agros,
at caput tristi fluitavit Hebro,
contigit notam Styga Tartarumque
non rediturus.
stravit Alcides Aquilone natos ;
patre Neptuno genitum necavit,

sumere innumeras solitum figuras ;
ipse post terrae pelagique pacem,
post feri Ditis patefacta regna,
vivus ardenti recubans in Oeta,
praebuit saevis sua membra flammis,
tabe consumtus gemini cruoris,
munere nuptae.
stravit Ancaeum violentus ictu
setiger. fratres, Melagre, matris
impius mactas, morerisque dextra
matris iratae. meruere cuncti ;
morte quod crimen tener expiavit
Herculi magno puer inrepertus,
raptus heu ! tutas puer inter undas ?
ite nunc fortes, perarate pontum,
fonte timendo.

CCVIII

Death

Troad. 375–410

Verum est, an timidos fabula decipit,
umbras corporibus vivere conditis ?
cum coniux oculis imposuit manum,
supremusque dies solibus obstitit,
et tristis cineres urna coercuit :
non prodest animam tradere funeri,
sed restat miseris vivere longius ?
an toti morimur, nullaque pars manet
nostri, cum profugo spiritus halitu
immixtus nebulis cessit in aera,
et nudum tetigit subdita fax latus ?
quidquid sol oriens, quidquid et occidens
novit, caeruleis Oceanus fretis
quidquid vel veniens vel fugiens lavat,
aetas Pegaseo corripiet gradu.
quo bissena volant sidera turbine ;
quo cursu properat secula volvere
astrorum dominus ; quo properat modo
obliquis Hecate currere flexibus :
hoc omnes petimus fata ; nec amplius,
iuratos Superis qui tetigit lacus,

usquam est. ut calidis fumus ab ignibus
vanescit spatium per breve sordidus ;
ut nubes, gravidas quas modo vidimus,
Arctoi Boreae disiicit impetus :
sic hic, quo regimur, spiritus effluet.
post mortem nihil est, ipsaque mors nihil,
velocis spatii meta novissima.
spem ponant avidi, solliciti metum.
tempus nos avidum devorat et chaos.
quaeris, quo iaceas post obitum loco ?
quo non nata iacent. . . . Taenara et aspero
regnum sub domino limen et obsidens
custos non facili Cerberus ostio
rumores vacui verbaque inania,
et par sollicito fabula somnio.

CCIX

Soliloquy of Hippolytus

Phaedra 484–528

Non alia magis est libera et vitio carens,
ritusque melius vita quae priscos colat,
quam quae relictis moenibus silvas amat.
non illum avarae mentis inflammat furor,
qui se dicavit montium insontem iugis ;
non aura populi et vulgus infidum bonis,
non pestilens invidia, non fragilis favor.
non ille regno servit, aut, regno imminens,
vanos honores sequitur, aut fluxas opes
spei metusque liber. haud illum niger
edaxque Livor dente degeneri petit ;
nec scelera populos inter atque urbes sita
novit ; nec omnes conscius strepitus pavet,
aut verba fingit. mille non quaerit tegi
dives columnis, nec trabes multo insolens
suffigit auro. non cruor largus pias
inundat aras, fruge nec sparsi sacra
centena nivei colla submittunt boves ;
sed rure vacuo potitur, et aperto aethere
innocuus errat. callidas tantum feris
struxisse fraudes novit ; et fessus gravi

labore, niveo corpus Ilisso fovet.
nunc ille ripam celeris Alphei legit;
nunc nemoris alti densa metatur loca,
ubi Lerna puro gelida perlucet vado;
sedemque mutat. hic aves querulae fremunt
ramique ventis lene percussi tremunt,
veteresque fagi. iuvit aut amnis vagi
pressisse ripas, caespite aut nudo leves
duxisse somnos, sive fons largus citas
defundit undas, sive per flores novos
fugiente dulcis murmurat rivo sonus,
excussa silvis poma compescunt famem,
et fraga parvis vulsa dumetis cibos
faciles ministrant. regios luxus procul
est impetus fugisse. sollicito bibant
auro superbi; quam iuvat nuda manu
captasse fontem! certior somnus premit
secura duro membra versantem toro.
non in recessu furta et obscuro improbus
quaerit cubili, seque multiplici timens
domo recondit; aethera ac lucem petit,
et teste caelo vivit. hoc equidem reor
vixisse ritu, prima quos mixtos deis
profudit aetas.

CCX

Return of Agamemnon

Agam. 773–798

Agam. Tandem revertor sospes ad patrios lares.
o cara, salve, terra! tibi tot barbarae
dedere gentes spolia; tibi felix diu
potentis Asiae Troia submisit manus.
quid ista vates corpus effusa ac tremens
dubia labat cervice? famuli, attollite!
refovete gelido latice! iam recipit diem
marcente visu. suscita sensus tuos:
optatus ille portus aerumnis adest.
festus dies est.
Cass. festus et Troiae fuit.
Agam. veneremur aras.
Cass. cecidit ante aras pater.

AGAM. Iovem precemur pariter.
CASS. Herceum Iovem?
AGAM. credis videre te Ilium?
CASS. et Priamum simul.
AGAM. hic Troia non est.
CASS. ubi Helena est, Troiam puto.
AGAM. ne metue dominam famula.
CASS. libertas adest.
AGAM. secura vive.
CASS. mors mihi est securitas.
AGAM. nullum est periclum tibimet.
CASS. at magnum tibi.
AGAM. victor timere quid potest?
CASS. quod non timet.
AGAM. hanc fida, famuli, turba, dum excutiat deum,
retinete, ne quid impotens peccet furor!
at te, pater, qui saeva torques fulmina
pellisque nubes, sidera et terras regis,
ad quem triumphi spolia victores ferunt:
et te sororem cuncta pollentis viri,
Argolica Iuno, pecore votivo libens
Arabumque donis supplice et fibra colam.

CCXI

A CURSE

Thyest. 23–83

MEG. Perge, detestabilis
umbra, et penates impios furiis age!
certetur omni scelere, et alterna vice
stringantur enses. ne sit irarum modus
pudorve; mentes caecus instiget furor;
rabies parentum duret, et longum nefas
eat in nepotes; nec vacet cuiquam vetus
odisse crimen, semper oriatur novum,
nec unum in uno; dumque punitur scelus,
crescat. superbis fratribus regna excidant,
repetantque profugos; dubia violentae domus
fortuna reges inter incertos labet;
miser ex potente fiat, ex misero potens;
fluctuque regnum casus adsiduo ferat.

ob scelera pulsi, cum dabit patriam deus,
in scelera redeant; sintque tam invisi omnibus
quam sibi. nihil sit, ira quod vetitum putet:
fratrem expavescat frater, et gnatum parens
gnatusque patrem; liberi pereant male,
peius tamen nascantur; immineat viro
infesta coniux; bella trans pontum vehant;
effusus omnes irriget terras cruor,
supraque magnos gentium exultet duces
libido victrix; impia stuprum in domo
levissimum sit fratris: et fas et fides
iusque omne pereat. non sit a vestris malis
immune caelum. cur micant stellae polo,
flammaeque servant debitum mundo decus?
nox atra fiat! excidat caelo dies!
misce penates; odia, caedes, funera
arcesse, et imple Tantalo totam domum!
ornetur altum columen, et lauro fores
laetae virescant; dignus adventu tuo
splendescat ignis. Thracium fiat nefas
maiore numero. dextra cur patrui vacat?
nondum Thyestes liberos deflet suos:
ecquando tollet? ignibus iam subditis
spument ahena; membra per partes eant
discerpta; patruos polluat sanguis focos;
epulae instruantur. non novi sceleris tibi
conviva venies. liberum dedimus diem,
tuamque ad istas solvimus mensas famem:
ieiunia exple; mixtus in Bacchum cruor
spectante te potetur. inveni dapes,
quas ipse fugeres. siste! quo praeceps ruis?

TANT. ad stagna et amnes et recedentes aquas,
labrisque ab ipsis arboris plenae fugas.
abire in atrum carceris liceat mihi
cubile; liceat, si parum videor miser,
mutare ripas: alveo medius tuo,
Phlegethon, relinquar, igneo cinctus freto.
quicunque poenas lege fatorum datas
pati iuberis; quisquis exeso iaces
pavidus sub antro, iamque venturi times
montis ruinam; quisquis avidorum feros
rictus leonum et dira Furiarum agmina

implicitus horres ; quisquis immissas faces
semiustus abigis : Tantali vocem excipe
properantis ad vos ! credite experto mihi :
amate poenas ! quando continget mihi
effugere Superos ?

CCXII

Fate Supreme

Oedipus 979–994

Fatis agimur : cedite fatis.
non sollicitae possunt curae
mutare rati stamina fusi.
quidquid patimur mortale genus,
quidquid facimus, venit ex alto ;
servatque suae decreta colus
Lachesis, dura revoluta manu.
omnia certo tramite vadunt,
primusque dies dedit extremum.
non illa deo vertisse licet,
quae nexa suis currunt causis.
it cuique ratus prece non ulla
mobilis ordo.
multis ipsum metuisse nocet.
multi ad fatum venere suum,
dum fata timent.

CCXIII

The Ghost of Agrippina foretells Nero's Death

Octavia 595–647

Tellure rupta Tartaro gressum extuli,
Stygiam cruenta praeferens dextra facem
thalamis scelestis. nubat his flammis meo
Poppaea nato iuncta, quas vindex manus
dolorque matris vertet ad tristes rogos.
manet inter umbras impiae caedis mihi
semper memoria, Manibus nostris gravis
adhuc inultis, reddita et meritis meis
funesta merces puppis, et pretium imperi
nox illa, qua naufragia deflevi mea.
comitum necem, natique crudelis nefas

deflere votum fuerat ; haud tempus datum est
lacrimis ; sed ingens scelere geminavit nefas.
erepta pelago, foeda vulneribus, sacros
intra penates spiritum effudi gravem,
nec odia nati sanguine extinxi meo
peremta ferro ; saevit in nomen ferus
matris tyrannus : obrui meritum cupit ;
simulacra, titulos destruit, mortis metu,
totum per orbem, quem dedit poenam in meam
puero regendum noster infelix amor.
exstinctus umbras agitat infestus meas,
flammisque vultus noxios coniux petit,
instat, minatur, imputat fatum mihi
tumulumque nati ; poscit auctorem necis.
iam parce : dabitur. tempus haud longum peto :
ultrix Erinnys impio dignum parat
letum tyranno, verbera, et turpem fugam,
poenasque, quis et Tantali vincat sitim,
dirum laborem Sisyphi, Tityi alitem,
Ixionisque membra rapientem rotam.
licet exstruat marmoribus atque auro tegat
superbus aulam ; limen armatae ducis
servent cohortes ; mittat immensas opes
exhaustus orbis ; supplices dextram petant
Parthi cruentam ; regna, divitias, ferant :
veniet dies tempusque, quo reddat suis
animam nocentem sceleribus, iugulum hostibus,
desertus et destructus et cunctis egens.
heu, quo labor, quo vota ceciderunt mea ?
quo te furor provexit attonitum tuos
et fata, nate, cedat ut tantis malis
genitricis ira, quae tuo scelere occidit ?
utinam, antequam te parvulum in lucem edidi
aluique, saevae nostra lacerassent ferae
viscera ! sine ullo scelere, sine sensu, innocens,
meus, occidisses ; iunctus atque haerens mihi
semper quietam cerneres sedem Inferum,
proavos, patremque, nominis magni viros
quos nunc pudor luctusque perpetuus manet
ex te, nefande, meque, quae talem tuli.
quid tegere cesso Tartaro vultus meos,
noverca, coniux, mater infelix meis ?

ANON. (time uncertain)

CCXIV

A Lover's Soliloquy

Lydia 1–24

Invideo vobis, agri formosaque prata,
hoc formosa magis, mea quod formosa puella
in vobis tacite nostrum suspirat amorem.
vos nunc illa videt, vobis mea Lydia ludit,
vos nunc adloquitur, vos nunc adridet ocellis,
et mea submissa meditatur carmina voce,
cantat et interea mihi quae cantabat in aurem.
invideo vobis, agri: discetis amare.
o fortunati nimium nimiumque beati,
in quibus illa pedis nivei vestigia ponet
aut roseis digitis viridem decerpserit uvam
(dulci namque tumet nondum vitecula Baccho)
aut inter varios venerem spirantia flores
membra reclinarit teneramque inliserit herbam
et secreta meos furtim narrabit amores!
gaudebunt silvae, gaudebunt mollia prata,
tardabunt rivi labentes currere lymphae,
et gelidi fontes, aviumque silentia fient;
dum mea iucundas exponat cura querellas.
invideo vobis, agri: mea gaudia habetis,
et vobis nunc est, mea quae fuit ante voluptas.
at mihi tabescunt morientia membra dolore
et calor infuso decedit frigore mortis,
quod mea non mecum domina est.

CCXV

Scientific Research the highest Pursuit

Aetna 255–282

Nam quae mortali cuiquamst amentia maior,
in Iovis errantem regno perquirere velle,
tantum opus ante pedes transire ac spernere segnem?
torquemur miseri in parvis terimurque labore.
scrutamur rimas et vertimus omne profundum,

quaeritur argenti semen, nunc aurea vena ;
torquentur flamma terrae ferroque domantur,
dum sese pretio redimant, verumque professae
tum demum viles taceant inopesque relictae.
noctes atque dies festinant arva coloni,
callent rure manus, glebarum expendimus usum :
fertilis haec segetique feracior, altera viti,
haec plantis humus, haec herbis dignissima tellus,
haec dura et melior pecori silvisque fidelis.
aridiora tenent oleae, sucosior ulmis
grata, leves cruciant animos et corpora causae,
horrea uti saturent, tumeant et dolia musto,
plenaque desecto surgant fenilia campo :
sic avidi semper qua visumst carius itis.
implendus sibi quisque bonis est artibus : illae
sunt animi fruges ; haec rerum est optima merces,
scire quod occulto terrae natura coërcet,
nullum fallere opus, non mutum cernere sacros
Aetnaei montis fremitus animosque furentis,
non subito pallere sono, non credere supter
caelestes migrasse minas aut Tartara rumpi,
nosse, quid intendat ventos, quid nutriat ignes,
unde reperta quies et mixto foedere pax sit.

CCXVI

The Lava Stream

Aetna 478–509

Verum ubi paulatim exiluit sublata caducis
congeries saxis, angusto vertice surgunt.
sic velut in fornace lapis torretur et omnis
exustus penitus venis subit altius humor :
amissis opibus levis et sine pondere pumex
excutitur : liquor ille magis fervere magisque
fluminis in speciem mitis procedere tandem
incipit et pronis demittit collibus undas.
illae paulatim bis sena in milia pergunt ;
quippe nihil revocat, curvis nihil ignibus obstat,
nulla tenet frustra moles : simul omnia pugnant.
nunc silvae rupesque rotant haec tela, solumque
ipsum adiutat opes facilesque sibi induit amnes.

quod si forte cavis cunctatus vallibus haesit,
utpote inaequales volvens perpascitur agros,
ingeminat fluctus et stantibus increpat undis
(sicut cum rapidum curvo mare cernimus aestu):
ac primum tenues, simas agit ulteriores.
progrediens late diffunditur, et succernens

. . . . .

flumina consistunt ripis ac frigore durant,
paulatimque ignes coëunt ac flammea messis.
exuitur facies tum, prima ut quaeque rigescit:
effumat moles atque ipso pondere tracta
volvitur ingenti strepitu, praecepsque sonanti
cum solido inflicta est, pulsatos dissipat ictus,
et qua disclusa est candenti robore fulget.
emicat examen: plagis ardentia saxa,
scintillas, procul esse fides, procul esse ruentes.
incolumi fervore cadunt; verum impetus ignes
Symaethi quondam ut ripas traiecerit amnis,
vix iunctis quisquam faxo dimoverit illas:
vicenos persaepe pedes iacet obruta moles.

PERSIUS (34–62 A.D.)

CCXVII

The Literary Taste of the Day

I. 75–106

Euge poëta!
est nunc Brisaei quem venosus liber Acci,
sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta?
hos pueris monitus patres infundere lippos
cum videas, quaerisne, unde haec sartago loquendi
venerit in linguas, unde istuc dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia levis?
nilne pudet capiti non posse pericula cano
pellere, quin tepidum hoc optes audire *decenter*?
fur es, ait Pedio; Pedius quid? crimina rasis
librat in antithetis, doctas posuisse figuras
laudatur: *bellum hoc!* hoc bellum? an, Romule, ceves?
men moveat quippe et, cantet si naufragus, assem

protulerim? cantas, cum fracta te in trabe pictum
ex humero portes? verum nec nocte paratum
plorabit, qui me volet incurvasse querella.—
sed numeris decor est et iunctura addita crudis.
claudere sic versum didicit: *Berecyntius Attis;*
et: *qui caeruleum dirimebat Nerea delphin;*
sic: *costam longo subduximus Appennino.*
arma virum, nonne hoc spumosum et cortice pingui,
ut ramale vetus praegrandi subere coctum?—
quidnam igitur tenerum et laxa cervice legendum?
torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris et lyncem Maenas flexura corymbis
Euhion ingeminat; reparabilis adsonat echo?
haec fierent, si testiculi vena ulla paterni
viveret in nobis? summa delumbe saliva
hoc natat in labris, et in udo est Maenas et Attis,
nec pluteum caedit, nec demorsos sapit ungues.—

CCXVIII

'I will have Mercy and not Sacrifice'

II. 61–75

O curvae in terris animae et caelestium inanes!
quid iuvat, hos templis nostros immittere mores,
et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa?
haec sibi corrupto casiam dissolvit olivo,
haec Calabrum coxit vitiato murice vellus,
haec bacam conchae rasisse et stringere venas
ferventis massae crudo de pulvere iussit.
peccat et haec, peccat: vitio tamen utitur; at vos
dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?
nempe hoc quod Veneri donatae a virgine pupae.
quin damus id superis, de magna quod dare lance
non possit magni Messallae lippa propago:
compositum ius fasque animi, sanctosque recessus
mentis, et incoctum generoso pectus honesto.
haec cedo ut admoveam templis, et farre litabo.

CCXIX

The Misery of an acute Conscience

iii. 30–43

Ad populum phaleras! ego te intus et in cute novi.
non pudet ad morem discincti vivere Nattae?
sed stupet hic vitio, fibris increvit opimum
pingue, caret culpa, nescit quid perdat, et alto
demersus summa rursum non bullit in unda.
magne pater divum, saevos punire tyrannos
haud alia ratione velis, cum dira libido
moverit ingenium ferventi tincta veneno:
virtutem videant intabescantque relicta.
anne magis Siculi gemuerunt aera iuvenci,
et magis auratis pendens laquearibus ensis
purpureas subter cervices terruit, *imus,*
imus praecipites, quam si sibi dicat et intus
palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?

CCXX

Conscience cannot be Cheated

iv. 23–52

Ut nemo in sese temptat descendere, nemo,
sed praecedenti spectatur mantica tergo!
quaesieris: nostin Vettidi praedia?—cuius?—
dives arat Curibus quantum non milvus oberrat.—
hunc ais, hunc dis iratis genioque sinistro,
qui, quandoque iugum pertusa ad compita figit,
seriolae veterem metuens deradere limum
ingemit *hoc bene sit!* tunicatum cum sale mordens
caepe, et farratam pueris plaudentibus ollam
pannosam faecem morientis sorbet aceti?—

. . . . .

caedimus, inque vicem praebemus crura sagittis.
vivitur hoc pacto; sic novimus. ilia subter
caecum vulnus habes; sed lato balteus auro
praetegit. ut mavis, da verba et decipe nervos,
si potes.—egregium cum me vicinia dicat,
non credam?—viso si palles, improbe, nummo,
si facis in penem quidquid tibi venit, amarum

si puteal multa cautus vibice flagellas :
nequiquam populo bibulas donaveris aures.
respue, quod non es ; tollat sua munera cerdo ;
tecum habita : noris, quam sit tibi curta supellex.

CCXXI

True Liberty

v. 73–97

Libertate opus est, non hac, ut, quisque Velina
Publius emeruit, scabiosum tesserula far
possidet. heu steriles veri, quibus una Quiritem
vertigo facit ! hic Dama est non tressis agaso,
vappa et lippus et in tenui farragine mendax :
verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama : papae ! Marco spondente recusas
credere tu nummos ? Marco sub iudice palles ?
Marcus dixit : ita est ; adsigna, Marce, tabellas.
haec mera libertas ! hoc nobis pilea donant !—
an quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
cui licet, ut voluit ? licet ut volo vivere : non sum
liberior Bruto ?—mendose colligis, inquit
Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto :
haec reliqua accipio ; *licet* illud et *ut volo* tolle.—
vindicta postquam meus a praetore recessi,
cur mihi non liceat, iussit quodcumque voluntas,
excepto si quid Masuri rubrica vetavit ?—
disce, sed ira cadat naso rugosaque sanna,
dum veteres avias tibi de pulmone revello.
non praetoris erat stultis dare tenuia rerum
officia atque usum rapidae permittere vitae :
sambucam citius caloni aptaveris alto.
stat contra ratio et secretam garrit in aurem,
ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo.

CCXXII

Persius apostrophises his Heir

vi. 41–61

At tu, meus heres
quisquis eris, paulum a turba seductior audi :
o bone, num ignoras ? missa est a Caesare laurus

insignem ob cladem Germanae pubis, et aris
frigidus excutitur cinis, ac iam postibus arma,
iam chlamydes regum, iam lutea gausapa captis
essedaque ingentesque locat Caesonia Rhenos.
dis igitur genioque ducis centum paria ob res
egregie gestas induco ; quis vetat ? aude.
vae, nisi connives ! oleum artocreasque popello
largior ; an prohibes ? dic clare ! *non adeo*, inquis,
exossatus ager iuxta est. age, si mihi nulla
iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,
deque avia nihilum superest, accedo Bovillas
clivumque ad Virbi, praesto est mihi Manius heres.—
progenies terrae ?—quaere ex me, quis mihi quartus
sit pater : haud prompte, dicam tamen ; adde etiam unum,
unum etiam : terrae est iam filius, et mihi ritu
Manius hic generis prope maior avunculus exit.
qui prior es, cur me in decursu lampada poscas ?

M. ANNAEUS LUCANUS (fl. 38–65 A.D.)

CCXXIII

The Druids

I. 450–462

Et vos barbaricos ritus moremque sinistrum
sacrorum, druidae, positis repetistis ab armis.
solis nosse deos et caeli numina vobis
aut solis nescire datum ; nemora alta remotis
incolitis lucis ; vobis auctoribus umbrae
non tacitas Erebi sedes Ditisque profundi
pallida regna petunt : regit idem spiritus artus
orbe alio ; longae, canitis si cognita, vitae
mors media est. certe populi, quos despicit Arctos,
felices errore suo, quos ille timorum
maximus haud urget, leti metus. inde ruendi
in ferrum mens prona viris animaeque capaces
mortis, et ignavum rediturae parcere vitae.

CCXXIV

Portents of Disaster

II. 1–28

Iamque irae patuere deum, manifestaque belli
signa dedit mundus, legesque et foedera rerum
praescia monstrifero vertit natura tumultu
indixitque nefas. cur hanc tibi, rector Olympi,
sollicitis visum mortalibus addere curam,
noscant venturas ut dira per omina clades?
sive parens rerum, cum primum informia regna
materiamque rudem flamma cedente recepit,
fixit in aeternum causas, qua cuncta coërcet,
se quoque lege tenens, et saecula iussa ferentem
fatorum inmoto divisit limite mundum;
sive nihil positum est, sed fors incerta vagatur,
fertque refertque vices, et habet mortalia casus:
sit subitum quodcumque paras; sit caeca futuri
mens hominum fati; liceat sperare timenti.
ergo ubi concipiunt quantis sit cladibus orbi
constatura fides superum, ferale per urbem
iustitium, latuit plebeio tectus amictu
omnis honos, nullos comitata est purpura fasces.
tum questus tenuere suos, magnusque per omnes
erravit sine voce dolor. sic funere primo
attonitae tacuere domus, cum corpora nondum
conclamata iacent, nec mater crine soluto
exigit ad saevos famularum bracchia planctus;
sed cum membra premit fugiente rigentia vita
voltusque exanimes oculosque in morte micantes;
necdum est ille dolor, sed iam metus: incubat amens
miraturque malum.

CCXXV

A Spanish Winter

IV. 50–78

Pigro bruma gelu siccisque aquilonibus haerens
aethere constricto pluvias in nube tenebat.
urebant montana nives camposque iacentes
non duraturae conspecto sole pruinae,

atque omnis propior mergenti sidera caelo
aruerat tellus hiberno dura sereno.
sed postquam vernus calidum Titana recepit
sidera respiciens delapsae portitor Helles,
atque iterum aequatis ad iustae pondera Librae
temporibus vicere dies, tunc sole relicto
Cynthia, quo primum cornu dubitanda refulsit,
exclusit Boream flammasque accepit in Euro.
ille suo nubes quascumque invenit in axe,
torsit in occiduum Nabataeis flatibus orbem
et quas sentit Arabs et quas Gangetica tellus
exhalat nebulas, quidquid concrescere primus
sol patitur, quidquid caeli fuscator eoi
inpulerat Corus, quidquid defenderat Indos.
incendere diem nubes oriente remotae
nec medio potuere graves incumbere mundo,
sed nimbos rapuere fuga. vacat imbribus Arctos
et Notus, in solam Calpen fluit umidus aër.
hic ubi iam Zephyri fines et summus Olympi
cardo tenet Tethyn, vetitae transcurrere densos
involvere globos, congestumque aëris atri
vix recipit spatium, quod separat aethere terram.
iamque polo pressae largos densantur in imbres
spissataeque fluunt, nec servant fulmina flammas
quamvis crebra micent ; exstinguit fulgura nimbus.

CCXXVI

Caesar in Peril

v. 653–677

Credit iam digna pericula Caesar
fatis esse suis. 'tantusne evertere' dixit
'me superis labor est, parva quem puppe sedentem
tam magno petiere mari ? si gloria leti
est pelago donata mei bellisque negamur,
intrepidus, quamcumque datis mihi, numina, mortem
accipiam. licet ingentes abruperit actus
festinata dies fatis, sat magna peregi :
Arctoas domui gentes, inimica subegi
arma metu, vidit Magnum mihi Roma secundum,
iussa plebe tuli fasces per bella negatos ;

nulla meis aberit titulis Romana potestas.
nec sciet hoc quisquam, nisi tu, quae sola meorum
conscia votorum es, me, quamvis plenus honorum
et dictator eam Stygias et consul ad umbras,
privatum, Fortuna, mori. mihi funere nullo
est opus, o superi; lacerum retinete cadaver
fluctibus in mediis, desint mihi busta rogusque,
dum metuar semper terraque exspecter ab omni.'
haec fatum decimus, dictu mirabile, fluctus
invalida cum puppe levat nec rursus ab alto
aggere deiecit pelagi, sed pertulit unda,
scruposisque angusta vacant ubi litora saxis,
inposuit terrae. pariter tot regna, tot urbes
fortunamque suam tacta tellure recepit.

CCXXVII

Thessaly the Land of Witchcraft

VI. 430-456

Ille supernis
detestanda deis saevorum arcana magorum
noverat et tristes sacris feralibus aras,
umbrarum Ditisque fidem, miseroque liquebat
scire parum superos. vanum saevumque furorem
adiuvat ipse locus vicinaque moenia castris
Haemonidum, ficti quas nulla licentia monstri
transierit, quarum, quidquid non creditur, ars est.
Thessala quin etiam tellus herbasque nocentes
rupibus ingenuit sensuraque saxa canentes
arcanum ferale magos. ibi plurima surgunt
vim factura deis, et terris hospita Colchis
legit in Haemoniis, quas non advexerat, herbas.
inpia tot populis, tot surdas gentibus aures
caelicolum dirae convertunt carmina gentis.
una per aetherios exit vox illa recessus
verbaque ad invitum perfert cogentia numen,
quod non cura poli caelique volubilis umquam
avocat. infandum tetigit cum sidera murmur,
tunc Babylon Persea licet secretaque Memphis
omne vetustorum solvat penetrale magorum,
abducet superos alienis Thessalis aris.

carmine Thessalidum dura in praecordia fluxit
non fatis addictus amor, flammisque severi
inlicitis arsere senes. nec noxia tantum
pocula proficiunt aut cum turgentia suco
frontis amaturae subducunt pignora fetae.

CCXXVIII

The Grave of Pompeius

VIII. 789–822

Tunc, ne levis aura retectos
auferret cineres, saxo conpressit harenam,
nautaque ne bustum religato fune moveret,
inscripsit sacrum semusto stipite nomen :
'hic situs est Magnus.' placet hoc, Fortuna, sepulcrum
dicere Pompei, quo condi maluit illum,
quam terra caruisse socer? temeraria dextra,
cur obicis Magno tumulum manesque vagantes
includis? situs est, qua terra extrema refuso
pendet in oceano : Romanum nomen et omne
imperium Magno tumuli est modus ; obrue saxa
crimine plena deum : si tota est Herculis Oete
et iuga tota vacant Bromio Nyseïa, quare
unus in Aegypto est Magno lapis? omnia Lagi
rura tenere potest si nullo caespite nomen
haeserit. erremus populi cinerumque tuorum,
Magne, metu nullas Nili calcemus harenas.
quod si tam sacro dignaris nomine saxum,
adde actus tantos monimentaque maxima rerum,
adde truces Lepidi motus Alpinaque bella
armaque Sertori revocato consule victa
et currus, quos egit eques, commercia tuta
gentibus et pavidos Cilicas maris ; adde subactam
barbariem gentesque vagas et quidquid in Euro
regnorum Boreaque iacet. dic semper ab armis
civilem repetisse togam, ter curribus actis
contentum multos patriae donasse triumphos.
quis capit haec tumulus! surgit miserabile bustum
non ullis plenum titulis, non ordine tanto
fastorum, solitumque legi super alta deorum
culmina et exstructos spoliis hostilibus arcus

haud procul est ima Pompei nomen harena
depressum tumulo, quod non legat advena rectus,
quod nisi monstratum Romanus transeat hospes.

CCXXIX

The Deadly Serpents

IX. 790–814

Nasidium Marsi cultorem torridus agri
percussit prester. illi rubor igneus ora
succendit, tenditque cutem pereunte figura
miscens cuncta tumor toto iam corpore maior,
humanumque egressa modum super omnia membra
efflatur sanies late pollente veneno;
ipse latet penitus congesto corpore mersus,
nec lorica tenet distenti corporis auctum.
spumeus accenso non sic exundat aëno
undarum cumulus, nec tantos carbasa Coro
curvavere sinus. tumidos iam non capit artus
informis globus et confuso pondere truncus.
intactum volucrum rostris epulasque daturum
haud inpune feris non ausi tradere busto
nondum stante modo crescens fugere cadaver.
sed maiora parant Libycae spectacula pestes.
inpressit dentes haemorrhois aspera Tullo,
magnanimo iuveni miratorique Catonis.
utque solet pariter totis se effundere signis
Corycii pressura croci, sic omnia membra
emisere simul rutilum pro sanguine virus.
sanguis erant lacrimae; quaecumque foramina novit
umor, ab his largus manat cruor: ora redundant
et patulae nares, sudor rubet; omnia plenis
membra fluont venis, totum est pro volnere corpus.

T. CALPURNIUS SICULUS (beginning of Nero's reign)

CCXXX

The Amphitheatre

Ecl. vii. 47–72

Balteus en gemmis, en illita porticus auro
certatim radiant; nec non, ubi finis harenae
proxima marmoreo praebet spectacula muro,
sternitur adiunctis ebur admirabile truncis,
et coit in rotulum, tereti qui lubricus axe
impositos subita vertigine falleret ungues,
excuteretque feras. auro quoque torta refulgent
retia, quae totis in harenam dentibus exstant,
dentibus aequatis; et erat, mihi crede, Lycota,
si qua fides, nostro dens longior omnis aratro.
ordine quid referam? vidi genus omne ferarum,
hic niveos lepores, et non sine cornibus apros,
hic raram in silvis etiam, quibus editur, alcen.
vidimus et tauros, quibus aut cervice levata
deformis scapulis torus eminet, aut quibus hirtae
iactantur per colla iubae, quibus aspera mento
barba iacet, tremulisque rigent palearia setis.
non solum nobis silvestria cernere monstra
contigit: aequoreos ego cum certantibus ursis
spectavi vitulos, et equorum nomine dictum
sed deforme pecus, quod in illo nascitur amni,
qui sata riparum vernantibus irrigat undis.
ah trepidi quoties sola discedentis harenae
vidimus inverti, ruptaque voragine terrae
emersisse feras; et ab isdem saepe cavernis
aurea cum croceo creverunt arbuta nimbo.

M. AURELIUS NEMESIANUS (end of third century A.D.)

CCXXXI

The First Vintage

Ecl. iii. 18–51

Te cano, qui gravidis hederata fronte corymbis
vitea serta plicas, quique udo palmite tigres

ducis odorato perfusus colla capillo,
vera Iovis proles ; iam tunc post sidera caeli
sola Iovem Semele vidit Iovis ora professum.
hunc pater omnipotens, venturi providus aevi,
pertulit, et iusto produxit tempore partus.
hunc Nymphae, Faunique senes, Satyrique procaces,
nosque etiam Nysae viridi nutrimus in antro.
quin et Silenus parvum veneratus alumnum
aut gremio fovet, aut resupinis sustinet ulnis,
evocat aut risum digito, motuque quietem
allicit, aut tremulis quassat crepitacula palmis.
cui deus arridens horrentes pectore setas
vellicat, aut digitis aures astringit acutas,
applauditve manu mutilum caput, aut breve mentum,
et simas tenero collidit pollice nares.
interea pueri florescit pube iuventus,
flavaque maturo tumuerunt tempora cornu.
tum primum laetas ostendit pampinus uvas ;
mirantur Satyri frondes et poma Lyaei.
tum deus, o Satyri, maturos carpite fetus,
dixit, et ignotos, pueri, calcate racemos.
vix haec ediderat, decerpunt vitibus uvas,
et portant calathis, celerique elidere planta
concava saxa super properant ; vindemia fervet
collibus in summis, crebro pede rumpitur uva,
rubraque purpureo sparguntur pectora musto.
tum Satyri, lasciva cohors, sibi pocula quisque
obvia corripiunt ; quod fors dedit, arripit usus.
cantharon hic retinet, cornu bibit alter adunco :
concavat ille manus, palmasque in pocula vertit :
pronus at ille lacu bibit, et crepitantibus haurit
musta labris : alius vocalia cymbala mergit.

T. CATIUS SILIUS ITALICUS (25–101 A.D.)

CCXXXII

Hannibal's Vow

I. 104–139

Olli permulcens genitor caput oscula libat
adtollitque animos hortando et talibus implet :

'gens recidiva Phrygum Cadmeae stirpis alumnos
foederibus non aequa premit ; si fata negarint
dedecus id patriae nostra depellere dextra,
haec tua sit laus, nate, velis ; age, concipe bella
latura exitium Laurentibus ; horreat ortus
iam pubes Tyrrhena tuos, partusque recusent,
te surgente, puer, Latiae producere matres.'
his acuit stimulis, subicitque haud mollia dictu :
'Romanos terra atque undis, ubi competet aetas,
ferro ignique sequar Rhoeteaque fata revolvam.
non superi mihi, non Martem cohibentia pacta,
non celsae obstiterint Alpes Tarpeiaque saxa.
hanc mentem iuro nostri per numina Martis,
per manes, regina, tuos.' tum nigra triformi
hostia mactatur divae, raptimque recludit
spirantes artus poscens responsa sacerdos
ac fugientem animam properatis consulit extis.
ast ubi quaesitas artis de more vetustae
intravit mentes superum, sic deinde profatur :
'Aetolos late consterni milite campos
Idaeoque lacus flagrantes sanguine cerno.
quanta procul moles scopulis ad sidera tendit,
cuius in aërio pendent tua vertice castra !
iamque iugis agmen rapitur ; trepidantia fumant
moenia et Hesperio tellus porrecta sub axe
Sidoniis lucet flammis, fluit ecce cruentus
Eridanus, iacet ore truci super arma virosque,
tertia qui tulerit sublimis opima Tonanti.
heu quaenam subitis horrescit turbida nimbis
tempestas, ruptoque polo micat igneus aether !
magna parant superi. tonat alti regia caeli,
bellantemque Iovem cerno.' venientia fata
scire ultra vetuit Iuno, fibraeque repente
conticuere. latent casus longique labores.

CCXXXIII

The Hardships of the Carthaginians in crossing the Alps

iii. 518–556

Tum, qua durati concreto frigore collis
lubrica frustratur canenti semita clivo,

luctantem ferro glaciem premit : haurit hiatu
nix resoluta viros, altoque e culmine praeceps
umenti turmas operit delapsa ruina.
interdum adverso glomeratas turbine Corus
in media ora nives fuscis agit horridus alis :
aut rursum immani stridens avulsa procella
nudatis rapit arma viris, volvensque per orbem
contorto rotat in nubes sublimia flatu.
quoque magis subiere iugo, atque, evadere nisi,
erexere gradum, crescit labor : ardua supra
sese aperit fessis et nascitur altera moles,
unde nec edomitos exsudatosque labores
respexisse libet : tanta formidine plana
exterrent repetita oculis ; atque una pruinae
canentis, quacumque datur promittere visus,
ingeritur facies : medio sic navita ponto,
cum dulces liquit terras, et inania nullos
inveniunt ventos securo carbasa malo,
immensas prospectat aquas, ac victa profundis
aequoribus fessus renovat sua lumina caelo.
iamque, super clades atque importuna locorum,
illuvie rigidaeque comae squalore perenni
horrida semiferi promunt e rupibus ora ;
atque effusa cavis exesi pumicis antris
Alpina invadit manus, assuetoque vigore
per dumos notasque nives atque invia pernix
clausum montivagis infestat cursibus hostem.
mutatur iam forma locis ; hic sanguine multo
infectae rubuere nives ; hic nescia vinci
paulatim glacies cedit tepefacta cruore :
dumque premit sonipes duro vestigia cornu,
ungula perfossis haesit comprensa pruinis.
nec pestis lapsus simplex : abscisa relincunt
membra gelu, fractosque asper rigor amputat artus.
bis senos soles, totidem per vulnera saevas
emensi noctes, optato vertice sidunt,
castraque praeruptis suspendunt ardua saxis.

CCXXXIV

Imilce the Wife of Hannibal protests against the Sacrifice of her Son

iv. 789–809

I nunc, Ausonios ferro populare Penates,
et vetitas molire vias ! i, pacta resigna,
per cunctos iurata deos ! sic praemia reddit
Carthago, et tales iam nunc tibi solvit honores.
quae porro haec pietas, delubra adspergere tabo ?
heu primae scelerum causae mortalibus aegris,
naturam nescire deum ! iusta ite precati
ture pio, caedumque feros avertite ritus :
mite et cognatum est homini deus. hactenus, oro,
sit satis ante aras caesos vidisse iuvencos ;
aut si velle nefas superos fixumque sedetque,
me, me, quae genui, vestris absumite votis.
cur spoliare iuvat Libycas hac indole terras ?
an flendae magis Aegates, et mersa profundo
Punica regna forent, olim si sorte cruenta
esset tanta mei virtus praerepta mariti ?
haec dubios vario divumque hominumque timore
ad cauta illexere Patres ; ipsique relictum,
abnueret sortem, an superum pareret honori.
tum vero trepidare metu vix compos Imilce,
magnanimi metuens immitia corda mariti.

CCXXXV

Juno blinds the Romans at Cannae with a Storm of Dust

ix. 486–512

At Gradivus atrox remeantis in aethera Divae
abscessu revocat mentes, fusosque per aequor
ipse manu magna, nebulam circumdatus, acri
restituit pugnae. convertunt signa, novamque
instaurant Itali, versa formidine, caedem,
cum ventis positus custos, cui flamina carcer
imperio compressa tenet, caelumque ruentes
Eurique, et Boreae parent, Corique, Notique,

Iunonis precibus, promissa haud parva ferentis,
regnantem Aetolis Vulturnum in proelia campis
effrenat. placet hic irae exitiabilis ultor.
qui, se postquam Aetnae mersit candente barathro,
concepitque ignes, et flammea protulit ora,
evolat horrendo stridore, ac Daunia regna
perflat, agens caecam glomerato pulvere nubem.
eripuere oculos aurae, vocemque, manusque:
vortice harenoso candentes (flebile dictu)
torquet in ora globos Italum, et bellare maniplis
iussa laetatur rabie. tum mole ruinae
sternuntur tellure et miles et arma tubaeque;
atque omnis retro flatu occursante refertur
lancea, et in tergum Rutulis cadit irritus ictus.
atque idem flatus Poenorum tela secundat,
et velut amento contorta hastilia turbo
adiuvat, ac Tyrias impellit stridulus hastas.
tum denso fauces praeclusus pulvere miles
ignavam mortem compresso maeret hiatu.

CCXXXVI

The Sibyl prophesies the Death of Hannibal

xiii. 868–893

Tum iuvenis lacrimans: 'restare haec ordine duro
lamentor rebus Latiis. sed luce remota
si nulla est venia, et merito mors ipsa laborat:
perfidiae Poenus quibus aut Phlegethontis in undis
exuret ductor scelus aut quae digna renatos
ales in aeternum laniabit morsibus artus?'
'ne metue,' exclamat vates, 'non vita sequetur
inviolata virum: patria non ossa quiescent.
namque ubi, fractus opum, magnae certamine pugnae
pertulerit vinci turpemque orare salutem,
rursus bella volet Macetum instaurare sub armis;
damnatusque doli, desertis coniuge fida
et dulci nato, linquet Carthaginis arces
atque una profugus lustrabit caerula puppe.
hinc Cilicis Tauri saxosa cacumina viset.
pro! quanto levius mortalibus aegra subire
servitia atque hiemes aestusque fugamque fretumque

atque famem, quam posse mori! post Itala bella
Assyrio famulus regi falsusque cupiti
Ausoniae motus, dubio petet aequora velo,
donec, Prusiacas delatus segniter oras,
altera servitia imbelli patietur in aevo
et latebram munus regni. perstantibus inde
Aeneadis reddique sibi poscentibus hostem,
pocula furtivo rapiet properata veneno
ac tandem terras longa formidine solvet.'

C. VALERIUS FLACCUS (fl. under Vespasian)

CCXXXVII

Hypsipyle rescues her Father Thoas

II. 253–278

Tunc excipit artus
obnubitque caput tacitumque ad conscia Bacchi
templa rapit, primoque manus a limine tendens
'exime nos sceleri, pater, et miserere piorum
rursus' ait. tacita pavidum tunc sede locavit
sub pedibus dextraque dei; latet ille receptus
veste sacra; voces tholus et trieterica reddunt
aera sonum fixaeque fremunt in limine tigres.
regina ut roseis Auroram surgere bigis
vidit et insomni lassatas turbine tandem
conticuisse domos, stabilem quando optima facta
dant animum maiorque piis audacia coeptis,
serta patri iuvenisque comam vestesque Lyaei
induit et medium curru locat aeraque circum
tympanaque et plenas tacita formidine cistas.
ipsa sinus hederisque ligat famularibus artus
pampineamque quatit ventosis ictibus hastam
respiciens, teneat virides elatus habenas
ut pater, in nivea tumeant ut cornua mitra
et sacer ut Bacchum referat scyphus. inpulit aeri
tum validas stridore fores rapiturque per urbem
talia voce canens: 'linque o mihi caede madentem,
Bacche, domum; sine foedatum te funere pontus
expiet et referam lotos in templa dracones.'

sic medios egressa metus ; facit ipse verendam
nam deus et flatu non inscia gliscit anhelo.

CCXXXVIII

The Abduction of Hylas

III. 549–597

Credit Hylas praedaeque ferox ardore propinquae
insequitur ; simul Alcides hortatibus urget
prospiciens ; iamque ex oculis aufertur uterque,
cum puerum instantem quadrupes fessaque minantem
tela manu procul ad nitidi spiracula fontis
ducit et intactas levis ipse superfugit undas.
hoc pueri spes lusa modost nec tendere certat
amplius ; utque artus et concita pectora sudor
diluerat, gratos avidus procumbit ad amnes.
stagna vaga quasi luce micant, ubi Cynthia caelo
prospicit aut medii transit rota candida Phoebi :
tale iubar diffundit aquis ; nil unda comaeque
turbavitque sonus surgentis ad oscula Nymphae.
illa avidas iniecta manus heu sera cientem
auxilia et magni referentem nomen amici
detrahit ; adiutae prono nam pondere vires.
iam pater umbrosis Tirynthius arcibus ornos
depulerat magnoque iugi stridore revulsas
terga super fulvi porrexerat horrida monstri
litora curva petens ; alio nam calle reversum
credit Hylan captaque dapes auxisse ferina.
sed neque apud socios structasque in litore mensas
unanimum videt aeger Hylan nec longius acrem
intendens aciem. varios hinc excitat aestus
nube mali percussus amor, quibus haeserit oris,
quis tales inpune moras casusve laborve
attulerit ; densam interea descendere noctem
iam maiore metu ; tum vero et pallor et amens
cum piceo sudore rigor. ceu pectora nautis
congelat hiberni vultus Iovis agricolisve,
cum coit umbra minax, comitis sic adficit error
Alciden saevaeque monet meminisse novercae.
continuo, volucri ceu pectora tactus asilo
emicuit Calabris taurus per confraga saeptis

obvia quaeque ruens, tali se concitat ardens
in iuga senta fuga : pavet omnis conscia late
silva, pavent montes, luctu succensus acerbo
quid struat Alcides tantaque quid apparet ira.
ille, velut refugi quem contigit inproba Mauri
lancea sanguineus vasto leo murmure fertur
frangit et absentem vacuis sub dentibus hostem,
sic furiis accensa gerens Tirynthius ora
fertur et intento discurrit montibus arcu.
heu miserae quibus ille feris, quibus incidit usquam
immeritis per lustra viris ! volat ordine nullo
cuncta petens ; nunc ad ripas deiectaque saxis
flumina, nunc totas nemorum procurrit ad umbras.
rursus Hylan et rursus Hylan per longa reclamat
avia ; responsant silvae et vaga certat imago.

CCXXXIX

Medea's Thoughts on seeing Jason for the first Time

vi. 657–682

At regina virum (neque enim dea submovet ignem)
persequitur lustrans oculisque ardentibus haeret ;
et iam laeta minus praesentis imagine pugnae
castigatque metus et quas alit inscia curas,
respiciens, an vera soror (nam credere falsos
audet atrox vultus), eademque in gaudia rursus
labitur et saevae trahitur dulcedine flammae.
ac velut ante comas ac summa cacumina silvae
lenibus adludit flabris levis auster, at illum
protinus inmanem miserae sensere carinae :
talis ad extremos agitur Medea furores.
interdum blandae derepta monilia divae
contrectat miseroque aptat flagrantia collo,
quaque dedit teneros aurum furiale per artus,
deficit ; ac sua virgo deae gestamina reddit,
non gemmis, non illa levi turbata metallo,
sed facibus, sed mole dei, quem pectore toto
iam tenet ; extremus roseo pudor errat in ore.
ac prior his : ' credisne patrem promissa daturum,
o soror, Argolicus cui dis melioribus hospes
contigit ? aut belli quantum iam restat acerbi ?

heu quibus ignota sese pro gente periclis
obicit!' haec fantem medio in sermone reliquit
incepti iam Iuno potens securaque fraudis.
inminet e celsis audentius inproba muris
virgo nec ablatam sequitur quaeritve sororem.

CCXL

Medea accompanied by Venus goes to the Help of Jason

vii. 371–409

Talibus infelix contra sua regna venenis
induitur noctique tremens infertur opacae.
dat dextram vocemque Venus blandisque paventem
adloquiis iunctoque trahit per moenia passu.
qualis adhuc teneros insuetum pallida fetus
mater ab excelso produxit in aethera nido
hortaturque sequi brevibusque insurgere pinnis,
illos caerulei primus ferit horror Olympi,
iamque redire rogant adsuetaque quaeritur arbor:
haud aliter caecae per moenia deficit urbis
incedens horretque domos Medea silentes.
hic iterum extremae nequiquam in limine portae
substitit atque iterum fletus animique soluti,
respexitque deam paulumque his vocibus haesit:
'ipse rogat certe meque ipse implorat Iason.
nullane culpa subest? labes non ulla pudoris,
nullus amor? nec turpe viro servire precanti?'
illa nihil contra vocesque abrumpit inanes.
et iam iam magico per opaca silentia Colchis
coeperat ire sono, montanaque condere vultus
numina cumque suis averti collibus amnes;
iam stabulis gregibusque pavor strepitusque sepulcris
inciderat; stupet ipsa gravi nox tardior umbra,
iamque tremens longe sequitur Venus; utque sub altas
pervenere trabes divaeque triformis in umbram,
hic subito ante oculos nondum speratus Iason
emicuit, viditque prior conterrita virgo;
atque hinc se profugam volucri Thaumantias ala
sustulit; inde Venus dextrae delapsa tenenti.
obvius ut sera cum se sub nocte magistris
inpingit pecorique pavor, qualesve profundum

per chaos occurrunt caecae sine vocibus umbrae ;
haut secus in mediis noctis nemorisque tenebris
inciderant ambo attoniti iuxtaque subibant,
abietibus tacitis aut immotis cyparissis
adsimiles, rabidus nondum quas miscuit auster.
ergo ut erat vultu defixus uterque silenti
noxque suom peragebat iter, iam iam ora levare
Aesoniden farique cupit Medea priorem.

CCXLI

Medea sets out from her Home

VIII. 1–36

At trepidam in thalamis et iam sua facta paventem
Colchida circa omnes pariter furiaeque minaeque
patris habent ; nec caerulei timor aequoris ultra,
nec miserae terra ulla procul ; quascumque per undas
ferre fugam, quamcumque cupit iam scandere puppem.
ultima virgineis tunc flens dedit oscula vittis,
quosque fugit conplexa toros, crinemque genasque
acta per antiqui carpsit vestigia somni,
atque haec inpresso gemuit miseranda cubili :
'o mihi si profugae, genitor, nunc mille supremos
amplexus, Aeëta, dares fletusque videres
ire meos ! ne crede, pater, non carior ille est,
quem sequimur ; tumidis utinam simul obruar undis !
tu, precor, haec longa placidus mox sceptra senecta
tuta geras meliorque tibi sit cetera proles.'
dixit et Haemonio numquam spernenda marito
condita letiferis promit medicamina cistis,
virgineosque sinus ipsumque monile venenis
implicat ac saevum super omnibus addidit ensem.
inde, velut torto Furiarum erecta flagello
prosilit : attonito qualis pede prosilit Ino
in freta nec parvi meminit conterrita nati,
quem tenet ; extremum coniunx ferit inritus Isthmon.
iam prior in lucos curis urgentibus heros
venerat et nemoris sacra se nocte tegebat,
tum quoque siderea clarus procul ora iuventa.
qualis adhuc sparsis comitum per lustra catervis
Latmius aestiva residet venator in umbra,

dignus amore deae, velatis cornibus et iam
Luna venit: roseo talis per nubila ductor
implet honore nemus talisque exspectat amantem.
ecce autem pavidae virgo de more columbae,
quae super ingenti circumdata praepetis umbra
in quemcumque tremens hominem cadit—haut secus illa
acta timore gravi mediam se misit; at ille
excepit blandoque prior sic ore locutus.

P. PAPINIUS STATIUS (61–98 A.D.)

CCXLII

Calliope foretells the future Greatness of Lucan

Silv. II. 7. 48–80

Nocturnas alii Phrygum ruinas
et tardi reducis vias Ulixis
et puppem temerariam Minervae,
trita vatibus orbita, sequantur:
tu carus Latio memorque gentis
carmen fortior exseres togatum:
ac primum teneris adhuc in annis
ludes Hectora Thessalosque currus
et supplex Priami potentis aurum,
et sedes reserabis inferorum:
ingratus Nero dulcibus theatris
et noster tibi proferetur Orpheus.
dices culminibus Remi vagantes
infandos domini nocentis ignes.
hinc castae titulum decusque Pollae
iucunda dabis adlocutione.
mox coepta generosior iuventa
albos ossibus Italis Philippos
et Pharsalica bella detonabis:
quo fulmen ducis inter arma divi,
libertate gravem pia Catonem
et gratum popularitate Magnum,
tu Pelusiaci scelus Canopi
deflebis pius et Pharo cruenta
Pompeio dabis altius sepulcrum.

haec primo iuvenis canes sub aevo,
ante annos Culicis Maroniani.
cedet Musa rudis ferocis Enni
et docti furor arduus Lucreti,
et qui per freta duxit Argonautas,
et qui corpora prima transfigurat.
quid maius loquar? ipsa te Latinis
Aeneis venerabitur canentem.

CCXLIII

To Septimius Severus, who was born in Leptis

Silv. IV. 5

Parvi beatus ruris honoribus,
qua prisca Teucros Alba colit lares,
fortem atque facundum Severum
non solitis fidibus saluto.

iam trux ad Arctos Parrhasias hiemps
concessit altis obruta solibus,
iam pontus ac tellus renident
in Zephyros Aquilone fracto.

nunc cuncta veris frondibus annuis
crinitur arbos, nunc volucrum novi
questus inexpertumque carmen,
quod tacita statuere bruma.

nos parca tellus pervigil et focus
culmenque multo lumine sordidum
solantur exemptusque testa
qua modo ferbuerat Lyaeus.

non mille balant lanigeri greges,
nec vacca dulci mugit adultero,
unique siquando canenti
mutus ager domino reclamat.

sed terra primis post patriam mihi
dilecta curis; hic mea carmina
regina bellorum virago
Caesareo peramavit auro,

cum tu sodalis dulce periculum
conisus omni pectore tolleres,
ut Castor ad cunctos tremebat
Bebryciae strepitus harenae.

tene in remotis Syrtibus avia
Leptis creavit? iam feret Indicas
messes odoratisque rara
cinnama praeripiet Sabaeis.

quis non in omni vertice Romuli
reptasse dulcem Septimium putet?
quis fonte Iuturnae relictis
uberibus neget esse pastum?

nec mira virtus: protinus Ausonum
portus vadosae nescius Africae
intras adoptatusque Tuscis
gurgitibus puer innatasti.

hinc parvus inter pignora curiae
contentus artae lumine purpurae
crescis, sed immensos labores
indole patricia secutus.

non sermo Poenus, non habitus tibi,
externa non mens: Italus, Italus.
sunt Urbe Romanisque turmis,
qui Libyam deceant alumni.

est et frementi vox hilaris foro,
venale sed non eloquium tibi;
ensisque vagina quiescit,
stringere ni iubeant amici.

sed rura cordi saepius et quies,
nunc in paternis sedibus et solo
Veiente, nunc frondosa supra
Hernica, nunc Curibus vetustis.

hic plura pones vocibus et modis
passu solutis, sed memor interim
nostri verecundo latentem
barbiton ingemina sub antro.

CCXLIV

To Maximus Junius on the Birth of his Son

Silv. iv. 7

Iam diu lato sociata campo
fortis heroos, Erato, labores
differ atque ingens opus in minores
contrahe gyros,

tuque, regnator lyricae cohortis,
da novi paulum mihi iura plectri,
si tuas cantu Latio sacravi,
Pindare, Thebas:

Maximo carmen tenuare tempto;
nunc ab intonsa capienda myrto
serta, nunc maior sitis et bibendus
castior amnis.

quando te dulci Latio remittent
Dalmatae montes, ubi Dite viso
pallidus fossor redit erutoque
concolor auro?

ecce me natum propiore terra
non tamen portu retinent amoeno
desides Baiae liticenve notus
Hectoris armis.

torpor est nostris sine te Camenis,
tardius sueto venit ipse Thymbrae
rector et primis meus ecce metis
haeret Achilles.

quippe te fido monitore nostra
Thebais multa cruciata lima
temptat audaci fide Mantuanae
gaudia famae.

sed damus lento veniam, quod alma
prole fundasti vacuos penates.
o diem laetum! venit ecce nobis
Maximus alter!

orbitas omni fugienda nisu,
quam premit votis inimicus heres,
optimo poscens—pudet heu !—propinquo
funus amice.

orbitas nullo tumulata fletu :
stat domo capta cupidus superstes
imminens leti spoliis et ipsum
computat ignem.

duret in longum generosus infans,
perque non multis iter expeditum
crescat in mores patrios avumque
provocet actis !

tu tuos parvo memorabis enses,
quos ad Eoum tuleras Orontem
signa frenatae moderatus alae
Castore dextro ;

ille ut invicti rapidum secutus
Caesaris fulmen refugis amaram
Sarmatis legem dederit, sub uno
vivere caelo.

sed tuas artes puer ante discat,
omne quis mundi senium remensus
orsa Sallusti brevis et Timavi
reddis alumnum.

CCXLV

A Shabby Present

Silv. iv. 9. 23–45

Usque adeone defuerunt
caesis pillea suta de lacernis
vel mantelia luridaeve mappae,
chartae Thebaicaeve Caricaeve ?
nusquam turbine conditus ruenti
prunorum globus atque cottanorum ?
non enlychnia sicca, non replictae
bulborum tunicae ? nec ova tantum
nec lenes halicae nec asperum far ?

nusquam Cinyphiis vacata campis
curvarum domus uda coclearum?
non lardum grave debilisve perna?
non lucanica, non graves falisci,
non sal oxyporumve caseusve,
aut panes viridantis aphronitri
vel passum psithiis suis recoctum,
dulci defruta vel lutosa caeno?
quantum nec dare cereos olentes
cultellum tenuesve codicillos?
ollares, rogo, non licebat uvas,
Cumano patinas in orbe tortas
aut unam dare synthesin—quid horres?—
alborum calicum atque caccaborum?

CCXLVI

To Sleep

Silv. v. 4

Crimine quo merui, iuvenis placidissime divum,
quove errore miser, donis ut solus egerem,
Somne, tuis? tacet omne pecus volucresque feraeque
et simulant fessos curvata cacumina somnos,
nec trucibus fluviis idem sonus; occidit horror
aequoris, et terris maria adclinata quiescunt.
septima iam rediens Phoebe mihi respicit aegras
stare genas; totidem Oetaeae Paphiaeque renident
lampades et totiens nostros Tithonia questus
praeterit et gelido spargit miserata flagello.
unde ego sufficiam? non si mihi lumina mille,
quae sacer alterna tantum statione tenebat
Argus et haud unquam vigilabat corpore toto.
at nunc heu! si aliquis longa sub nocte puellae
bracchia nexa tenens ultro te, Somne, repellit,
inde veni nec te totas infundere pennas
luminibus compello meis — hoc turba precetur
laetior — extremo me tange cacumine virgae,
sufficit, aut leviter suspenso poplite transi.

CCXLVII

Hypsipyle, leaving the Child Archemorus, conducts the thirsty Greeks to a River

Theb. iv. 785–822

At puer in gremio vernae telluris et alto
gramine nunc faciles sternit procursibus herbas
in vultum nitens, caram modo lactis egeno
nutricem plangore ciens iterumque renidens
et teneris meditans verba inluctantia labris
miratur nemorum strepitus aut obvia carpit
aut patulo trahit ore diem nemorique malorum
inscius et vitae multum securus inerrat.
sic tener Odrysia Mavors nive, sic puer ales
vertice Maenalio, talis per litora reptans
improbus Ortygiae latus inclinabat Apollo.
illi per dumos et opaca virentibus umbris
devia pars cingunt, pars arta plebe secuntur
praecelerantque ducem. medium subit illa per agmen
non humili festina modo; iamque amne propinquo
rauca sonat vallis, saxosumque impulit aures
murmur: ibi exultans conclamat ab agmine primus
sicut erat levibus tollens vexilla maniplis
Argus 'aquae!' longusque virum super ora cucurrit
clamor 'aquae!' sic Ambracii per litora ponti
nauticus in remis iuvenum monstrante magistro
fit sonus inque vicem contra percussa reclamat
terra, salutatus cum Leucada pandit Apollo.
incubuere vadis passim discrimine nullo
turba simul primique, nequit secernere mixtos
aequa sitis, frenata suis in curribus intrant
armenta, et pleni dominis armisque feruntur
quadripedes; hos turbo rapax, hos lubrica fallunt
saxa, nec implicitos fluvio reverentia reges
proterere aut mersisse vado clamantis amici
ora. fremunt undae, longusque a fontibus amnis
diripitur, modo lene virens et gurgite puro
perspicuus nunc sordet aquis egestus ab imis
alveus; inde tori riparum et proruta turbant
gramina; iam crassus caenoque et pulvere sordens,

quamquam expleta sitis, bibitur tamen. agmina bello
decertare putes iustumque in gurgite Martem
perfurere aut captam tolli victoribus urbem.

CCXLVIII

Her Grief on finding the Child dead

Theb. v. 599–637

Ac velut aligerae sedem fetusque parentis
cum piger umbrosa populatus in ilice serpens,
illa redit querulaeque domus mirata quietem
iam stupet impendens advectosque horrida maesto
excutit ore cibos, cum solus in arbore paret
sanguis et errantes per capta cubilia plumae.
ut laceros artus gremio miseranda recepit
intexitque comis, tandem laxata dolori
vox invenit iter, gemitusque in verba soluti:
'o mihi desertae natorum dulcis imago,
Archemore, o rerum et patriae solamen ademptae
servitiique decus, qui te, mea gaudia, sontes
exstinxere dei, modo quem digressa reliqui
lascivum et prono vexantem gramina cursu?
heu ubi siderei vultus? ubi verba ligatis
imperfecta sonis risusque et murmura soli
intellecta mihi? quotiens tibi Lemnon et Argo
sueta loqui et longa somnum suadere querella!
sic equidem luctus solabar et ubera parvo
iam materna dabam, cui nunc venit inritus orbae
lactis et infelix in vulnera liquitur imber.
nosco deos: o dura mei praesagia somni
nocturnique metus, et numquam impune per umbras
attonitae mihi visa Venus! quos arguo divos?
ipsa ego te (quid enim timeam moritura fateri?)
exposui fatis. quae mentem insania traxit?
tantane me tantae tenuere oblivia curae?
dum patrios casus famaeque exorsa retracto
ambitiosa meae (pietas haec magna fidesque!),
exsolvi tibi, Lemne, nefas; ubi letifer anguis,
ferte, duces, meriti si qua est mihi gratia duri,
si quis honos dictis, aut vos exstinguite ferro,
ne tristes dominos orbamque inimica revisam

Eurydicen, quamquam haut illi mea cura dolendo
cesserit. hocne ferens onus inlaetabile matris
transfundam gremio? quae me prius ima sub umbras
mergat humus?' simul haec terraque et sanguine vultum
sordida magnorum circa vestigia regum
vertitur, et tacite maerentibus imputat undas.

CCXLIX

Mercury visits the Temple of Mars in Thrace

Theb. VII. 40–76

Hic steriles delubra notat Mavortia silvas
horrescitque tuens: ubi mille furoribus illi
cingitur adverso domus immansueta sub Haemo.
ferrea compago laterum, ferro arta teruntur
limina, ferratis incumbunt tecta columnis.
laeditur adversum Phoebi iubar, ipsaque sedem
lux timet, et dirus contristat sidera fulgor.
digna loco statio: primis salit Impetus amens
e foribus, caecumque Nefas, Iraeque rubentes,
exsanguesque Metus, occultisque ensibus adstant
Insidiae, geminumque tenens Discordia ferrum.
innumeris strepit aula minis: tristissima Virtus
stat medio, laetusque Furor, vultuque cruento
Mors armata sedet. bellorum solus in aris
sanguis, et incensis qui raptus ab urbibus ignis.
terrarum exuviae circum, et fastigia templi
captae insignibant gentes, caelataque ferro
fragmina portarum bellatricesque carinae
et vacui currus protritaque curribus ora:
paene etiam gemitus: adeo vis omnis et omne
vulnus: ubique ipsum, sed non usquam ore remisso
cernere erat: talem divina Mulciber arte
ediderat: nondum radiis monstratus adulter
foeda catenato luerat conubia lecto.
quaerere templorum regem vix coeperat ales
Maenalius, tremit ecce solum, et mugire refractis
corniger Hebrus aquis: tunc quod pecus utile bellis
vallem infestabat, trepidas spumare per herbas,
signa adventantis, clausaeque adamante perenni
dissiluere fores: Hyrcano in sanguine pulcher

ipse subit curru diraque adspergine latos
mutat agros : spolia a tergo flentesque catervae.
dant silvae nixque alta locum : regit atra iugales
sanguinea Bellona manu longaque fatigat
cuspide : diriguit visu Cyllenia proles
submisitque genas : ipse reverentia patri,
si prope sit, dematque minas, nec talia mandet.

CCL

The Death of Amphiaraus

Theb. VII. 791–823

Non aliter caeco nocturni turbine Cori
scit peritura ratis, cum iam damnata sororis
igne Therapnaei fugerunt carbasa fratres.
  iamque recessurae paulatim horrescere terrae
summaque terga quati graviorque effervere pulvis
coeperat ; inferno mugit iam murmure campus.
bella putant trepidi bellique hunc esse fragorem,
hortanturque gradus ; alius tremor arma virosque
mirantesque inclinat equos ; iam frondea nutant
culmina, iam muri, ripisque Ismenos apertis
effugit ; exciderant irae, nutantia figunt
tela solo, dubiasque vagi nituntur in hastas
comminus inque vicem viso pallore recedunt.
sic ubi navales miscet super aequora pugnas
contempto Bellona mari, si forte benigna
tempestas, sibi quisque cavent, ensesque recondit
mors alia, et socii pacem fecere timores.
talis erat campo belli fluitantis imago.
sive laborantes concepto flamine terrae
ventorum rabiem et clausum eiecere furorem,
exedit seu putre solum carpsitque terendo
unda latens, sive hac volventis machina caeli
incubuit, sive omne fretum Neptunia movit
cuspis et extremas gravius mare torsit in oras,
seu vati datus ille fragor, seu terra minata est
fratribus : ecce alte praeceps humus ore profundo
dissilit, inque vicem timuerunt sidera et umbrae.
illum ingens haurit specus et transire parantes

mergit equos ; non arma manu, non frena remisit :
sicut erat, rectos defert in Tartara currus
respexitque cadens caelum campumque coire
ingemuit, donec levior distantia rursus
miscuit arva tremor lucemque exclusit Averno.

CCLI

The Abode of Sleep

Theb. x. 84–117

Stat super occiduae nebulosa cubilia noctis
Aethiopasque alios nulli penetrabilis astro
lucus iners, subterque cavis grave rupibus antrum
it vacuum in montem, qua desidis atria Somni
securumque larem segnis Natura locavit.
limen opaca Quies et pigra Oblivio servant
et numquam vigili torpens Ignavia vultu.
Otia vestibulo pressisque Silentia pinnis
muta sedent abiguntque truces a culmine ventos
et ramos errare vetant et murmura demunt
alitibus. non hic pelagi, licet omnia clament
litora, non ullus caeli fragor ; ipse profundis
vallibus effugiens speluncae proximus amnis
saxa inter scopulosque iacet : nigrantia circum
armenta, omne solo recubat pecus, et nova marcent
gramina, terrarumque inclinat spiritus herbas.
mille intus simulacra dei caelaverat ardens
Mulciber : hic haeret lateri redimita Voluptas,
hic comes in requiem vergens Labor ; est ubi Baccho,
est ubi Martigenae socium pulvinar Amori
obtinet ; interius tecti in penetralibus altis
et cum Morte iacet, nullique ea tristis imago.
ipse autem, vacuos curis, umentia subter
antra soporifero stipatos flore tapetas
incubat ; exhalant vestes et corpore pigro
strata calent, supraque torum niger efflat anhelo
ore vapor ; manus haec fusos a tempore laevo
sustentat crines, haec cornu oblita remisit.
adsunt innumero circum vaga Somnia vultu,
vera simul falsis permixtaque tristia blandis,
noctis opaca cohors, trabibusque aut postibus haerent,

aut tellure iacent. tenuis, qua circuit aulam,
invalidusque nitor, primosque hortantia somnos
languida succiduis exspirant lumina flammis.

CCLII

Achilles in Scyros at the Palace of Lycomedes

Achill. I. 366–378

Nec turba piarum
Scyriadum cessat nimio defigere visu
virginis ora novae, quantum cervice comisque
emineat quantumque umeros ac pectora fundat.
dein sociare choros castisque accedere sacris
hortantur, ceduntque loco et contingere gaudent.
qualiter Idaliae volucres, ubi mollia frangunt
nubila, iam longum caeloque domoque gregatae,
si iunxit pinnas diversoque hospita tractu
venit avis, cunctae primum mirantur et horrent:
mox propius propiusque volant, atque aëre in ipso
paulatim fecere suam plausuque secundo
circueunt hilares et ad alta cubilia ducunt.

CCLIII

Achilles in Scyros casts off his feminine Disguise

Achill. II. 174–208

Hic aliae, quas sexus iners naturaque ducit,
aut teretes thyrsos aut respondentia temptant
tympana, gemmatis aut nectunt tempora limbis:
arma vident magnoque putant donata parenti.
at ferus Aeacides, radiantem ut comminus orbem
caelatum pugnas (saevis et forte rubebat
bellorum maculis) acclinem conspicit hastae:
infremuit torsitque genas, et fronte relicta
surrexere comae; nusquam mandata parentis,
nusquam occultus amor, totoque in pectore Troia est.
ut leo, materno cum raptus ab ubere mores
accepit pectique iubas hominemque vereri
edidicit nullasque rapi nisi iussus in iras,
si semel adverso radiavit lumine ferrum,

eiurata fides domitorque inimicus : in illum
prima fames, timidoque iuvat saevire magistro.
ut vero accessit propius luxque aemula vultum
reddidit et simili talem se vidit in auro,
horruit erubuitque simul. tunc acer Ulixes
admotus lateri submissa voce : 'quid haeres ?
scimus' ait, 'tu semiferi Chironis alumnus,
tu caeli pelagique nepos : te Dorica classis,
te tua suspensis exspectat Graecia signis,
ipsaque iam dubiis nutant tibi Pergama muris.
heia, abrumpe moras : sine perfida palleat Ide,
et iuvet haec audire patrem, pudeatque dolosam
sic pro te timuisse Thetin.' iam pectus amictu
laxabat, cum grande tuba sic iussus Agyrtes
insonuit : fugiunt disiectis undique donis
implorantque patrem commotaque proelia credunt.
illius intactae cecidere a pectore vestes,
iam clipeus breviorque manu consumitur hasta
(mira fides !), Ithacumque umeris excedere visus
Aetolumque ducem : tantum subita arma calorque
Martius horrenda confundit luce penates.

M. VALERIUS MARTIALIS (c. 40-104 A.D.)

CCLIV

The Book-Borrower

I. 117

Occurris quotiens, Luperce, nobis,
'vis mittam puerum' subinde dicis,
'cui tradas epigrammaton libellum,
lectum quem tibi protinus remittam ?'
non est quod puerum, Luperce, vexes.
longum est, si velit ad Pirum venire,
et scalis habito tribus, sed altis.
quod quaeris propius petas licebit.
Argi nempe soles subire letum :
contra Caesaris est forum taberna
scriptis postibus hinc et inde totis,
omnes ut cito perlegas poëtas.

illinc me pete. nec roges Atrectum
— hoc nomen dominus gerit tabernae —:
de primo dabit alterove nido
rasum pumice purpuraque cultum
denaris tibi quinque Martialem.
'tanti non es' ais? Sapis, Luperce.

CCLV

A Jack of all Trades

II. 7

Declamas belle, causas agis, Attice, belle,
historias bellas, carmina bella facis,
componis belle mimos, epigrammata belle,
bellus grammaticus, bellus es astrologus,
et belle cantas et saltas, Attice, belle,
bellus es arte lyrae, bellus es arte pilae.
nil bene cum facias, facias tamen omnia belle,
vis dicam quid sis? magnus es ardelio.

CCLVI

A Roman Snob

II. 57

Hic quem videtis gressibus vagis lentum,
amethystinatus media qui secat Saepta,
quem non lacernis Publius meus vincit,
non ipse Cordus alpha paenulatorum,
quem grex togatus sequitur et capillatus
recensque sella linteisque lorisque:
oppigneravit modo modo ad Cladi mensam
vix octo nummis anulum, unde cenaret.

CCLVII

'Hoc erat in Votis'

II. 90

Quintiliane, vagae moderator summe iuventae,
gloria Romanae, Quintiliane, togae,

vivere quod propero pauper nec inutilis annis,
da veniam : properat vivere nemo satis.
differat hoc, patrios optat qui vincere census
atriaque inmodicis artat imaginibus.
me focus et nigros non indignantia fumos
tecta iuvant et fons vivus et herba rudis.
sit mihi verna satur, sit non doctissima coniunx,
sit nox cum somno, sit sine lite dies.

CCLVIII

A Pretty Fellow

III. 63

Cotile, bellus homo es : dicunt hoc, Cotile, multi.
audio : sed quid sit, dic mihi, bellus homo.
'bellus homo est, flexos qui digerit ordine crines,
balsama qui semper, cinnama semper olet ;
cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat,
qui movet in varios bracchia volsa modos ;
inter femineas tota qui luce cathedras
desidet atque aliqua semper in aure sonat,
qui legit hinc illinc missas scribitque tabellas ;
pallia vicini qui refugit cubiti ;
qui scit, quam quis amet, qui per convivia currit,
Hirpini veteres qui bene novit avos.'
quid narras ? hoc est, hoc est homo, Cotile, bellus ?
res pertricosa est, Cotile, bellus homo.

CCLIX

A Roman Day

IV. 8

Prima salutantes atque altera conterit hora,
exercet raucos tertia causidicos,
in quintam varios extendit Roma labores,
sexta quies lassis, septima finis erit,
sufficit in nonam nitidis octava palaestris,
imperat exstructos frangere nona toros :
hora libellorum decima est, Eupheme, meorum,
temperat ambrosias cum tua cura dapes

et bonus aetherio laxatur nectare Caesar
ingentique tenet pocula parca manu.
tunc admitte iocos: gressu timet ire licenti
ad matutinum nostra Thalia Iovem.

CCLX

A Lawyer's Perquisites

IV. 46

Saturnalia divitem Sabellum
fecerunt: merito tumet Sabellus,
nec quemquam putat esse praedicatque
inter causidicos beatiorem.
hos fastus animosque dat Sabello
farris semodius fabaeque fresae,
et turis piperisque tres selibrae,
et Lucanica ventre cum Falisco,
et nigri Syra defruti lagona,
et ficus Libyca gelata testa
cum bulbis cocleisque caseoque.
Piceno quoque venit a cliente
parcae cistula non capax olivae,
et crasso figuli polita caelo
septenaria synthesis Sagunti,
Hispanae luteum rotae toreuma,
et lato variata mappa clavo.
Saturnalia fructuosiora
annis non habuit decem Sabellus.

CCLXI

The Pleasures of Life

V. 20

Si tecum mihi, care Martialis,
securis liceat frui diebus,
si disponere tempus otiosum
et verae pariter vacare vitae:
nec nos atria, nec domos potentum,
nec lites tetricas forumque triste
nossemus, nec imagines superbas;

sed gestatio, fabulae, libelli,
campus, porticus, umbra, Virgo, thermae,
haec essent loca semper, hi labores.
nunc vivit necuter sibi, bonosque
soles effugere atque abire sentit,
qui nobis pereunt et imputantur.
quisquam vivere cum sciat, moratur?

CCLXII

An accomplished Gladiator

v. 24

Hermes Martia saeculi voluptas,
Hermes omnibus eruditus armis,
Hermes et gladiator et magister,
Hermes turba sui tremorque ludi,
Hermes quem timet Helius, sed unum,
Hermes cui cadit Advolans, sed uni,
Hermes vincere nec ferire doctus,
Hermes suppositicius sibi ipse,
Hermes divitiae locariorum,
Hermes cura laborque ludiarum,
Hermes belligera superbus hasta,
Hermes aequoreo minax tridente,
Hermes casside languida timendus,
Hermes gloria Martis universi,
Hermes omnia solus et ter unus.

CCLXIII

Martial asks a Favour of his Friend

vii. 72

Gratus sic tibi, Paule, sit December,
nec vani triplices brevesque mappae
nec turis veniant leves selibrae,
sed lances ferat et scyphos avorum
aut grandis reus aut potens amicus,
seu quod te potius iuvat capitque;
sic vincas Noviumque Publiumque
mandris et vitreo latrone clusos;

sic palmam tibi de trigone nudo
unctae det favor arbiter coronae,
nec laudet Polybi magis sinistras:
si quisquam mea dixerit malignus
atro carmina quae madent veneno,
ut vocem mihi commodes patronam
et quantum poteris, sed usque, clames:
"non scripsit meus ista Martialis."

CCLXIV

A Virtuoso

VIII. 6

Archetypis vetuli nihil est odiosius Eucti
— ficta Saguntino cymbia malo luto —,
argenti furiosa sui cum stemmata narrat
garrulus et verbis mucida vina facit.
'Laomedonteae fuerant haec pocula mensae:
ferret ut haec, muros struxit Apollo lyra.
hoc cratere ferox commisit proelia Rhoetus
cum Lapithis: pugna debile cernis opus.
hi duo longaevo censentur Nestore fundi:
pollice de Pylio trita columba nitet.
hic scyphus est, in quo misceri iussit amicis
largius Aeacides vividiusque merum.
hac propinavit Bitiae pulcherrima Dido
in patera, Phrygio cum data cena viro est.'
miratus fueris cum prisca toreumata multum,
in Priami calathis Astyanacta bibes.

CCLXV

To Fortune-Hunters

VIII. 12

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
quaeritis? uxori nubere nolo meae.
inferior matrona suo sit, Prisce, marito:
non aliter fiunt femina virque pares.

CCLXVI

A useless Present

VIII. 33

De praetoricia folium mihi, Paule, corona
mittis et hoc phialae nomen habere iubes.
hac fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum,
pallida quam rubri diluit unda croci.
an magis astuti derasa est ungue ministri
brattea, de fulcro quam reor esse tuo?
illa potest culicem longe sentire volantem
et minimi pinna papilionis agi;
exiguae volitat suspensa vapore lucernae
et leviter fuso rumpitur icta mero.
hoc linitur sputo Iani caryota Kalendis,
quam fert cum parco sordidus asse cliens.
lenta minus gracili crescunt colocasia filo,
plena magis nimio lilia sole cadunt;
nec vaga tam tenui discurrit aranea tela,
tam leve nec bombyx pendulus urget opus.
crassior in facie vetulae stat creta Fabullae,
crassior offensae bulla tumescit aquae;
fortior et tortos servat vesica capillos
et mutat Latias spuma Batava comas.
hac cute Ledaeo vestitur pullus in ovo,
talia lunata splenia fronte sedent.
quid tibi cum phiala, ligulam cum mittere possis,
mittere cum possis vel cocleare mihi,—
magna nimis loquimur—cocleam cum mittere possis,
denique cum possis mittere, Paule, nihil?

CCLXVII

A Gift from Instans Rufus

VIII. 51

Quis labor in phiala? docti Myos, anne Myronos?
Mentoris haec manus est, an, Polyclite, tua?
livescit nulla caligine fusca nec odit
exploratores nubila massa focos;

vera minus flavo radiant electra metallo,
et niveum felix pustula vincit ebur.
materiae non cedit opus: sic alligat orbem,
plurima cum tota lampade luna nitet.
stat caper Aeolio Thebani vellere Phrixi
cultus: ab hoc mallet vecta fuisse soror;
hunc nec Cinyphius tonsor violaverit, et tu
ipse tua pasci vite, Lyaee, velis.
terga premit pecudis geminis Amor aureus alis,
Palladius tenero lotos ab ore sonat:
sic Methymnaeo gavisus Arione delphin
languida non tacitum per freta vexit onus.
imbuat egregium digno mihi nectare munus
non grege de domini, sed tua, Ceste, manus;
Ceste, decus mensae, misce Setina: videtur
ipse puer nobis, ipse sitire caper.
det numerum cyathis Instantis littera Rufi:
auctor enim tanti muneris ille mihi:
si Telethusa venit promissaque gaudia portat,
servabor dominae, Rufe, triente tuo;
si dubia est, septunce trahar; si fallit amantem,
ut iugulem curas, nomen utrumque bibam.

CCLXVIII

Heaven in Debt to Domitian

IX. 3

Quantum iam superis, Caesar, caeloque dedisti
si repetas et si creditor esse velis,
grandis in aetherio licet auctio fiat Olympo
coganturque dei vendere quidquid habent,
conturbabit Atlas, et non erit uncia tota
decidat tecum qua pater ipse deum:
pro Capitolinis quid enim tibi solvere templis,
quid pro Tarpeiae frondis honore potest?
quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada praetereo: res agit illa tuas.
quid loquar Alciden Phoebumque piosque Laconas?
addita quid Latio Flavia templa polo?
exspectes et sustineas, Auguste, necesse est:
nam tibi quod solvat non habet arca Iovis.

CCLXIX

'Quem versu dicere non est'

IX. 11

Nomen cum violis rosisque natum,
quo pars optima nominatur anni,
Hyblam quod sapit Atticosque flores,
quod nidos olet alitis superbae;
nomen nectare dulcius beato,
quo mallet Cybeles puer vocari
et qui pocula temperat Tonanti;
quod si Parrhasia sones in aula,
respondent Veneres Cupidinesque;
nomen nobile, molle, delicatum
versu dicere non rudi volebam:
sed tu syllaba contumax repugnas.
dicunt Eiarinon tamen poëtae,
sed Graeci, quibus est nihil negatum
et quos Ἆρες Ἄρες decet sonare:
nobis non licet esse tam disertis,
qui Musas colimus severiores.

CCLXX

'Silence is Golden'

X. 3

Vernaculorum dicta, sordidum dentem,
et foeda linguae probra circulatricis,
quae sulphurato nolit empta ramento
vatiniorum proxeneta fractorum,
poëta quidam clancularius spargit
et vult videri nostra. credis hoc, Prisce?
voce ut loquatur psittacus coturnicis
et concupiscat esse Canus ascaules?
procul a libellis nigra sit meis fama,
quos rumor alba gemmeus vehit pinna:
cur ego laborem notus esse tam prave,
constare gratis cum silentium possit?

CCLXXI

A Happy Life

x. 23

Iam numerat placido felix Antonius aevo
quindecies actas Primus Olympiadas
praeteritosque dies et tutos respicit annos
nec metuit Lethes iam propioris aquas.
nulla recordanti lux est ingrata gravisque;
nulla fuit cuius non meminisse velit.
ampliat aetatis spatium sibi vir bonus: hoc est
vivere bis, vita posse priore frui.

CCLXXII

A Villa in Formiae

x. 30. 11–29

Hic summa leni stringitur Thetis vento;
nec languet aequor, viva sed quies ponti
pictam phaselon adiuvante fert aura,
sicut puellae non amantis aestatem
mota salubre purpura venit frigus.
nec saeta longo quaerit in mari praedam,
sed e cubiclo lectuloque iactatam
spectatus alte lineam trahit piscis.
si quando Nereus sentit Aeoli regnum,
ridet procellas tuta de suo mensa:
piscina rhombum pascit et lupos vernas,
natat ad magistrum delicata muraena,
nomenculator mugilem citat notum,
et adesse iussi prodeunt senes mulli.
frui sed istis quando, Roma, permittis?
quot Formianos imputat dies annus
negotiosis rebus urbis haerenti?
o ianitores vilicique felices!
dominis parantur ista, serviunt vobis.

CCLXXIII

The Ingredients of Happiness

x. 47

Vitam quae faciant beatiorem,
iucundissime Martialis, haec sunt:
res non parta labore, sed relicta;
non ingratus ager, focus perennis;
lis numquam, toga rara, mens quieta;
vires ingenuae, salubre corpus;
prudens simplicitas, pares amici;
convictus facilis, sine arte mensa;
nox non ebria, sed soluta curis;
non tristis torus, et tamen pudicus;
somnus qui faciat breves tenebras:
quod sis esse velis nihilque malis;
summum nec metuas diem nec optes.

CCLXXIV

An infinitesimal Farm

xi. 18

Donasti, Lupe, rus sub urbe nobis;
sed rus est mihi maius in fenestra.
rus hoc dicere, rus potes vocare?
in quo ruta facit nemus Dianae,
argutae tegit ala quod cicadae,
quod formica die comedit uno,
clusae cui folium rosae corona est;
in quo non magis invenitur herba,
quam Cosmi folium piperve crudum;
in quo nec cucumis iacere rectus,
nec serpens habitare tota possit.
urucam male pascit hortus unam,
consumpto moritur culix salicto,
et talpa est mihi fossor atque arator.
non boletus hiare, non mariscae
ridere aut violae patere possunt.
fines mus populatur et colono
tamquam sus Calydonius timetur,

et sublata volantis ungue Prognes
in nido seges est hirundinino ;
et cum stet sine falce mentulaque,
non est dimidio locus Priapo.
vix implet cocleam peracta messis,
et mustum nuce condimus picata.
errasti, Lupe, littera sed una :
nam quo tempore praedium dedisti,
mallem tu mihi prandium dedisses.

CCLXXV

Country *versus* Town

XII. 18

Dum tu forsitan inquietus erras
clamosa, Iuvenalis, in Subura,
aut collem dominae teris Dianae ;
dum per limina te potentiorum
sudatrix toga ventilat vagumque
maior Caelius et minor fatigant :
me multos repetita post Decembres
accepit mea rusticumque fecit
auro Bilbilis et superba ferro.
hic pigri colimus labore dulci
Boterdum Plateamque — Celtiberis
haec sunt nomina crassiora terris — :
ingenti fruor improboque somno,
quem nec tertia saepe rumpit hora,
et totum mihi nunc repono quidquid
ter denos vigilaveram per annos.
ignota est toga, sed datur petenti
rupta proxima vestis a cathedra.
surgentem focus excipit superba
vicini strue cultus iliceti,
multa vilica quem coronat olla.
venator sequitur, sed ille quem tu
secreta cupias habere silva ;
dispensat pueris rogatque longos
levis ponere vilicus capillos.
sic me vivere, sic iuvat perire.

CCLXXVI

A Present from Marcella

XII. 31

Hoc nemus, hi fontes, haec textilis umbra supini
palmitis, hoc riguae ductile flumen aquae,
prataque nec bifero cessura rosaria Paesto,
quodque viret Iani mense nec alget holus,
quaeque natat clusis anguilla domestica lymphis,
quaeque gerit similes candida turris aves,
munera sunt dominae: post septima lustra reverso
has Marcella domos parvaque regna dedit.
si mihi Nausicaa patrios concederet hortos,
Alcinoo possem dicere 'malo meos.'

CCLXXVII

The Trials of Town Life

XII. 57

Cur saepe sicci parva rura Nomenti
laremque villae sordidum petam, quaeris?
nec cogitandi, Sparse, nec quiescendi
in urbe locus est pauperi. negant vitam
ludi magistri mane, nocte pistores,
aerariorum marculi die toto;
hinc otiosus sordidam quatit mensam
Neroniana nummularius massa,
illinc balucis malleator Hispanae
tritum nitenti fuste verberat saxum;
nec turba cessat entheata Bellonae,
nec fasciato naufragus loquax trunco,
a matre doctus nec rogare Iudaeus,
nec sulphuratae lippus institor mercis.
numerare pigri damna qui potest somni,
dicet quot aera verberent manus urbis,
cum secta Colcho Luna vapulat rhombo.
tu, Sparse, nescis ista, nec potes scire,
Petilianis delicatus in regnis,
cui plana summos despicit domus montes,

et rus in urbe est vinitorque Romanus
— nec in Falerno colle maior autumnus —
intraque limen clusus essedo cursus,
et in profundo somnus, et quies nullis
offensa linguis, nec dies nisi admissus.
nos transeuntis risus excitat turbae,
et ad cubile est Roma. taedio fessis
dormire quotiens libuit, imus ad villam.

DECIMUS IUNIUS IUVENALIS (c. 60–140 A.D.)

CCLXXVIII

City Life

Sat. III. 29–65

Cedamus patria: vivant Artorius istic
et Catulus; maneant qui nigrum in candida vertunt,
queis facile est aedem conducere, flumina, portus,
siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,
et praebere caput domina venale sub hasta.
quondam hi cornicines et municipalis arenae
perpetui comites notaeque per oppida buccae
munera nunc edunt, et verso pollice vulgus
quem iubet occidunt populariter: inde reversi
conducunt foricas; et cur non omnia? cum sint
quales ex humili magna ad fastigia rerum
extollit quoties voluit Fortuna iocari.
quid Romae faciam? mentiri nescio; librum,
si malus est, nequeo laudare et poscere; motus
astrorum ignoro; funus promittere patris
nec volo nec possum; ranarum viscera numquam
inspexi; ferre ad nuptam quae mittit adulter,
quae mandat, norunt alii; me nemo ministro
fur erit, atque ideo nulli comes exeo, tamquam
mancus et exstinctae corpus non utile dextrae.
quis nunc diligitur, nisi conscius, et cui fervens
aestuat occultis animus semperque tacendis?
nil tibi se debere putat, nil conferet umquam,
participem qui te secreti fecit honesti;
carus erit Verri, qui Verrem tempore quo vult

accusare potest. tanti tibi non sit opaci
omnis arena Tagi quodque in mare volvitur aurum,
ut somno careas ponendaque praemia sumas
tristis et a magno semper timearis amico.
quae nunc divitibus gens acceptissima nostris,
et quos praecipue fugiam, properabo fateri,
nec pudor obstabit. non possum ferre, Quirites,
Graecam urbem ; quamvis quota portio faecis Achaei ?
iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
et linguam et mores et cum tibicine chordas
obliquas nec non gentilia tympana secum
vexit et ad circum iussas prostare puellas.

CCLXXIX

A drunken Bully

Sat. III. 278–301

Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
dat poenas, noctem patitur lugentis amicum
Pelidae, cubat in faciem, mox deinde supinus.
ergo non aliter poterit dormire ? quibusdam
somnum rixa facit : sed quamvis improbus annis
atque mero fervens cavet hunc, quem coccina laena
vitari iubet et comitum longissimus ordo,
multum praeterea flammarum et aënea lampas ;
me, quem luna solet deducere vel breve lumen
candelae, cuius dispenso et tempero filum,
contemnit. miserae cognosce prooemia rixae,
si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.
stat contra starique iubet : parere necesse est ;
nam quid agas, cum te furiosus cogat et idem
fortior ? unde venis ? exclamat ; cuius aceto,
cuius conche tumes ? quis tecum sectile porrum
sutor et elixi vervecis labra comedit ?
nil mihi respondes ? aut dic aut accipe calcem !
ede ubi consistas ; in qua te quaero proseucha ?—
dicere si temptes aliquid tacitusve recedas,
tantumdem est : feriunt pariter, vadimonia deinde
irati faciunt ; libertas pauperis haec est :
pulsatus rogat et pugnis concisus adorat,
ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.

CCLXXX

The Council of the Turbot

Sat. iv. 107–139

Montani quoque venter adest abdomine tardus,
et matutino sudans Crispinus amomo,
quantum vix redolent duo funera; saevior illo
Pompeius tenui iugulos aperire susurro,
et qui vulturibus servabat viscera Dacis
Fuscus, marmorea meditatus proelia villa,
et cum mortifero prudens Veiento Catullo,
qui numquam visae flagrabat amore puellae,
grande et conspicuum nostro quoque tempore monstrum;
caecus adulator dirusque a ponte satelles,
dignus Aricinos qui mendicaret ad axes
blandaque devexae iactaret basia redae.
nemo magis rhombum stupuit: nam plurima dixit
in laevum conversus; at illi dextra iacebat
belua. sic pugnas Cilicis laudabat et ictus
et pegma et pueros inde ad velaria raptos.
non cedit Veiento, sed ut fanaticus oestro
percussus, Bellona, tuo divinat et, 'ingens
omen habes,' inquit, 'magni clarique triumphi:
regem aliquem capies, aut de temone Britanno
excidet Arviragus: peregrina est belua; cernis
erectas in terga sudes?'—hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret et annos.—
'quidnam igitur censes? conciditur?'—'absit ab illo
dedecus hoc,' Montanus ait; 'testa alta paretur,
quae tenui muro spatiosum colligat orbem.
debetur magnus patinae subitusque Prometheus;
argillam atque rotam citius properate! sed ex hoc
tempore iam, Caesar, figuli tua castra sequantur.—'
vicit digna viro sententia: noverat ille
luxuriam imperii veterem noctesque Neronis
iam medias aliamque famem, cum pulmo Falerno
arderet.

CCLXXXI

Cruelty of Roman Ladies

Sat. VI. 486–507

Praefectura domus Sicula non mitior aula.
nam si constituit solitoque decentius optat
ornari et properat iamque exspectatur in hortis
aut apud Isiacae potius sacraria lenae,
disponit crinem, laceratis ipsa capillis,
nuda humero Psecas infelix nudisque mamillis.
altior hic quare cincinnus? taurea punit
continuo flexi crimen facinusque capilli.
quid Psecas admisit? quaenam est hic culpa puellae,
si tibi displicuit nasus tuos? altera laevum
extendit pectitque comas et volvit in orbem.
est in consilio materna admotaque lanis
emerita quae cessat acu; sententia prima
huius erit, post hanc aetate atque arte minores
censebunt, tamquam famae discrimen agatur
aut animae: tanta est quaerendi cura decoris!
tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
aedificat caput: Andromachen a fronte videbis;
post minor est: credas aliam. cedo, si breve parvi
sortita est lateris spatium breviorque videtur
virgine Pygmaea, nullis adiuta cothurnis,
et levis erecta consurgit ad oscula planta!

CCLXXXII

Superstitious Women

Sat. VI. 572–591

Illius occursus etiam vitare memento,
in cuius manibus ceu pinguia succina tritas
cernis ephemeridas, quae nullum consulit et iam
consulitur, quae castra viro patriamque petente
non ibit pariter, numeris revocata Thrasylli.
ad primum lapidem vectari cum placet, hora
sumitur ex libro; si prurit frictus ocelli
angulus, inspecta genesi collyria poscit.
aegra licet iaceat, capiendo nulla videtur

aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.
si mediocris erit, spatium lustrabit utrimque
metarum et sortes ducet frontemque manumque
praebebit vati crebrum poppysma roganti.
divitibus responsa dabunt Phryx augur et Indus,
conductus dabit astrorum mundique peritus,
atque aliquis senior, qui publica fulgura condit:
plebeium in circo positum est et in aggere fatum.
quae nudis longum ostendit cervicibus armum,
consulit ante falas delphinorumque columnas,
an saga vendenti nubat caupone relicto.

CCLXXXIII

Poetry and Poverty

Sat. VII. 59–73

Neque enim cantare sub antro
Pierio thyrsumque potest contingere maesta
paupertas atque aeris inops, quo nocte dieque
corpus eget: satur est, cum dicit Horatius euhoe!
qui locus ingenio, nisi cum se carmine solo
vexant et dominis Cirrhae Nysaeque feruntur
pectora vestra, duas non admittentia curas?
magnae mentis opus nec de lodice paranda
attonitae, currus et equos faciesque deorum
aspicere et qualis Rutulum confundat Erinys.
nam si Virgilio puer et tolerabile deesset
hospitium, caderent omnes a crinibus hydri;
surda nihil gemeret grave buccina; poscimus, ut sit
non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno,
cuius et alveolos et laenam pignerat Atreus?

CCLXXXIV

An Indigent Advocate

Sat. VII. 115–140

Consedere duces: surgis tu pallidus Aiax,
dicturus dubia pro libertate, bubulco
iudice. rumpe miser tensum iecur, ut tibi lasso
figantur virides, scalarum gloria, palmae;

quod vocis pretium? siccus petasunculus et vas
pelamydum, aut veteres, Maurorum epimenia, bulbi,
aut vinum Tiberi devectum, quinque lagonae.
si quater egisti, si contigit aureus unus,
inde cadunt partes ex foedere pragmaticorum.
Aemilio dabitur quantum licet, et melius nos
egimus; huius enim stat currus aëneus, alti
quadriiuges in vestibulis, atque ipse feroci
bellatore sedens curvatum hastile minatur
eminus et statua meditatur proelia lusca.
sic Pedo conturbat, Matho deficit; exitus hic est
Tongilii, magno cum rhinocerote lavari
qui solet et vexat lutulenta balnea turba
perque forum iuvenes longo premit assere Medos,
empturus pueros, argentum, murrina, villas;
spondet enim Tyrio stlattaria purpura filo.
et tamen est illis hoc utile; purpura vendit
causidicum, vendunt amethystina; convenit illis
et strepitu et facie maioris vivere census.
sed finem impensae non servat prodiga Roma.
fidimus eloquio? Ciceroni nemo ducentos
nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.

CCLXXXV

True Nobility

Sat. VIII. 19–38

Tota licet veteres exornent undique cerae
atria, nobilitas sola est atque unica virtus.
Paulus vel Cossus vel Drusus moribus esto;
hos ante effigies maiorum pone tuorum;
praecedant ipsas illi te consule virgas.
prima mihi debes animi bona; sanctus haberi
iustitiaeque tenax factis dictisque mereris:
agnosco procerem. salve, Gaetulice, seu tu
Silanus: quocumque alio de sanguine rarus
civis et egregius patriae contingis ovanti,
exclamare libet, populus quod clamat Osiri
invento. quis enim generosum dixerit hunc, qui
indignus genere et praeclaro nomine tantum
insignis? nanum cuiusdam Atlanta vocamus,

Aethiopem Cycnum, pravam extortamque puellam
Europen ; canibus pigris scabieque vetusta
levibus et siccae lambentibus ora lucernae
nomen erit pardus, tigris, leo, si quid adhuc est
quod fremat in terris violentius? ergo cavebis
et metues, ne tu sic Creticus aut Camerinus.

CCLXXXVI

An Ostler-Consul

Sat. VIII. 146–162

Praeter maiorum cineres atque ossa volucri
carpento rapitur pinguis Lateranus, et ipse,
ipse rotam astringit sufflamine mulio consul,
nocte quidem ; sed luna videt, sed sidera testes
intendunt oculos. finitum tempus honoris
cum fuerit, clara Lateranus luce flagellum
sumet et occursum numquam trepidabit amici
iam senis, ac virga prior annuet atque maniplos
solvet et infundet iumentis hordea lassis.
interea, dum lanatas robumque iuvencum
more Numae caedit Iovis ante altaria, iurat
solam Eponam et facies olida ad praesepia pictas.
sed cum pervigiles placet instaurare popinas,
obvius assiduo Syrophoenix udus amomo
currit, Idumaeae Syrophoenix incola portae
hospitis affectu dominum regemque salutat,
et cum venali Cyane succincta lagona.

CCLXXXVII

The Fall of Sejanus

Sat. X. 56–77

Quosdam praecipitat subiecta potentia magnae
invidiae ; mergit longa atque insignis honorum
pagina. descendunt statuae restemque secuntur,
ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
caedit et immeritis franguntur crura caballis :
iam strident ignes, iam follibus atque caminis
ardet adoratum populo caput et crepat ingens

Seianus; deinde ex facie toto orbe secunda
fiunt urceoli, pelves, sartago, matellae.
pone domi laurus, duc in Capitolia magnum
cretatumque bovem: Seianus ducitur unco
spectandus; gaudent omnes: quae labra, quis illi
vultus erat! numquam, si quid mihi credis, amavi
hunc hominem! sed quo cecidit sub crimine? quisnam
delator? quibus indiciis, quo teste probavit?—
nil horum: verbosa et grandis epistola venit
a Capreis.—bene habet; nil plus interrogo.—sed quid
turba Remi? sequitur fortunam ut semper et odit
damnatos; idem populus, si Nortia Tusco
favisset, si oppressa foret secura senectus
principis, hac ipsa Seianum diceret hora
Augustum.

CCLXXXVIII

The Vanity of military Glory

Sat. x. 147–173

Expende Hannibalem: quot libras in duce summo
invenies? hic est, quem non capit Africa Mauro
percussa Oceano Niloque admota tepenti,
rursus ad Aethiopum populos altosque elephantos.
additur imperiis Hispania, Pyrenaeum
transilit; opposuit natura Alpemque nivemque:
diducit scopulos et montem rumpit aceto.
iam tenet Italiam; tamen ultra pergere tendit:
actum, inquit, nihil est, nisi Poeno milite portas
frangimus et media vexillum pono Subura.
o qualis facies et quali digna tabella,
cum Gaetula ducem portaret bellua luscum!
exitus ergo quis est? o gloria! vincitur idem
nempe et in exilium praeceps fugit atque ibi magnus
mirandusque cliens sedet ad praetoria regis,
donec Bithyno libeat vigilare tyranno.
finem animae, quae res humanas miscuit olim,
non gladii, non saxa dabunt, nec tela, sed ille
Cannarum vindex et tanti sanguinis ultor
annulus. i demens et saevas curre per Alpes,
ut pueris placeas et declamatio fias!
unus Pellaeo iuveni non sufficit orbis;

aestuat infelix angusto limite mundi,
ut Gyari clausus scopulis parvaque Seripho :
cum tamen a figulis munitam intraverit urbem,
sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur,
quantula sint hominum corpuscula.

CCLXXXIX

A simple Household

Sat. XI. 131–148

Adeo nulla uncia nobis
est eboris nec tessellae nec calculus ex hac
materia, quin ipsa manubria cultellorum
ossea ; non tamen his ulla umquam obsonia fiunt
rancidula, aut ideo peior gallina secatur.
sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
pergula, discipulus Trypheri doctoris, apud quem
sumine cum magno lepus atque aper et pygargus
et Scythicae volucres et phoenicopterus ingens
et Gaetulus oryx hebeti lautissima ferro
caeditur et tota sonat ulmea cena Subura.
nec frustum capreae subducere nec latus Afrae
novit avis noster, tirunculus ac rudis omni
tempore et exiguae furtis imbutus ofellae.
plebeios calices et paucis assibus emptos
porriget incultus puer atque a frigore tutus ;
non Phryx aut Lycius, non a mangone petitus
quisquam erit et magno : cum posces, posce Latine.

CCXC

The good old Times

Sat. XIII. 38–70

Quondam hoc indigenae vivebant more, priusquam
sumeret agrestem posito diademate falcem
Saturnus fugiens, tunc, cum virguncula Iuno
et privatus adhuc Idaeis Iuppiter antris.
nulla super nubes convivia caelicolarum,
nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor
ad cyathos et iam siccato nectare tergens

bracchia Vulcanus Liparaea nigra taberna.
prandebat sibi quisque deus, nec turba deorum
talis ut est hodie, contentaque sidera paucis
numinibus miserum urgebant Atlanta minori
pondere; nondum aliquis sortitus triste profundi
imperium aut Sicula torvus cum coniuge Pluton,
nec rota nec Furiae nec saxum aut vulturis atri
poena, sed infernis hilares sine regibus umbrae.
improbitas illo fuit admirabilis aevo,
credebant quo grande nefas et morte piandum,
si iuvenis vetulo non assurrexerat et si
barbato cuicumque puer, licet ipse videret
plura domi fraga et maiores glandis acervos.
tam venerabile erat praecedere quattuor annis,
primaque par adeo sacrae lanugo senectae!
nunc, si depositum non infitietur amicus,
si reddat veterem cum tota aerugine follem,
prodigiosa fides et Tuscis digna libellis,
quaeque coronata lustrari debeat agna.
egregium sanctumque virum si cerno, bimembri
hoc monstrum puero vel mirandis sub aratro
piscibus inventis et fetae comparo mulae,
sollicitus, tamquam lapides effuderit imber
examenque apium longa consederit uva
culmine delubri, tamquam in mare fluxerit amnis
gurgitibus miniis aut lactis vortice torrens.

CCXCI

Revenge a Weakness

Sat. XIII. 180–192

At vindicta bonum vita iucundius ipsa.—
nempe hoc indocti, quorum praecordia nullis
interdum aut levibus videas flagrantia causis:
quantulacumque adeo est occasio, sufficit irae.
Chrysippus non dicet idem nec mite Thaletis
ingenium dulcique senex vicinus Hymetto,
qui partem acceptae saeva inter vincla cicutae
accusatori nollet dare. plurima felix
paulatim vitia atque errores exuit omnes,
prima docet rectum sapientia; quippe minuti

semper et infirmi est animi exiguique voluptas
ultio : continuo sic collige, quod vindicta
nemo magis gaudet quam femina.

CCXCII

Respect due to Childhood

Sat. xiv. 44–58

Nil dictu foedum visuque haec limina tangat,
intra quae pater est ; procul, ah procul inde puellae
lenonum et cantus pernoctantis parasiti !
maxima debetur puero reverentia : si quid
turpe paras, ne tu pueri contempseris annos,
sed peccaturo obstet tibi filius infans.
nam si quid dignum censoris fecerit ira
quandoque et similem tibi se non corpore tantum
nec vultu dederit, morum quoque filius et qui
omnia deterius tua per vestigia peccet,
corripies nimirum et castigabis acerbo
clamore ac post haec tabulas mutare parabis :
unde tibi frontem libertatemque parentis,
cum facias peiora senex vacuomque cerebro
iam pridem caput hoc ventosa cucurbita quaerat ?

PERVIGILIUM VENERIS (of uncertain time and authorship)

CCXCIII

Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet !
ver novum, ver iam canorum, ver renatus orbis est,
vere concordant amores, vere nubunt alites,
et nemus comam resolvit de maritis imbribus.
cras amorum copulatrix inter umbras arborum
implicat casas virentes de flagello myrteo,
cras Dione iura dicit fulta sublimi throno.
cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet !
ipsa gemmis purpurantem pingit annum floribus,
ipsa surgentes papillas de Favoni spiritu
urget in nodos feraces ; ipsa roris lucidi

noctis aura quem relinquit spargit umentes aquas.
umor ille quem serenis astra rorant noctibus
mane virgines papillas solvit urenti peplo.
en micant lacrimae trementes de caduco pondere:
gutta praeceps orbe parvo sustinet casus suos.
en pudorem florulentae prodiderunt purpurae!
ipsa iussit mane totae virgines nubant rosae.
facta Cypridis de cruore deque Amoris osculis
deque gemmis deque flammis deque solis purpuris,
cras pudorem qui latebat veste tectus ignea
unico marita voto non rubebit solvere.
cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet!
ipsa Nymphas diva luco iussit ire myrteo;
'ite Nymphae! posuit arma, feriatus est Amor.
iussus est inermis ire, nudus ire iussus est,
neu quid arcu neu sagitta neu quid igne laederet.
it puer comes puellis; nec tamen credi potest,
esse Amorem feriatum, si sagittas vexerit.
sed tamen, Nymphae, cavete, quod Cupido pulcher est:
totus est in armis idem quando nudus est Amor.'
cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet!
'una res est quam rogamus: cede, virgo Delia,
ut nemus sit incruentum de ferinis stragibus.
compari Venus pudore mittit ad te virgines:
ipsa vellet te rogare, si pudicam flecteret,
ipsa vellet ut venires, si deceret virginem.
iam tribus choros videres feriantes noctibus
congreges inter catervas ire per saltus tuos
floreas inter coronas, myrteas inter casas.
nec Ceres nec Bacchus absunt nec poëtarum deus.
detinenter tota nox est perviglanda canticis:
regnet in silvis Dione: tu recede, Delia.'
cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet!
iussit Hyblaeis tribunal stare diva floribus:
praeses ipsa iura dicet, adsidebunt Gratiae.
Hybla, totos funde flores, quidquid annus adtulit;
Hybla, florum subde restem, quantus Ennae campus est,
ut recentibus virentes ducat umbras floribus!
ruris hic erunt puellae vel puellae montium
quaeque silvas quaeque lucos quaeque fontes incolunt.
iussit omnes adsidere pueri mater alitis,
iussit at nudo puellas nil Amori credere,

cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet !
cras erit cum primus Aether copulavit nuptias.
ut pater totum crearet vernis annum nubibus,
in sinum maritus imber fluxit almae coniugis,
unde fetus mixtus omnes aleret magno corpore.
tunc cruore de superno spumeo pontus globo
caerulas inter catervas inter et bipedes equos
fecit undantem Dionen de marinis imbribus.
cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet !
ipsa venas atque mentem permeanti spiritu
intus occultis gubernat procreatrix viribus,
perque caelum perque terras perque pontum subditum
pervium sui tenorem seminali tramite
imbuit iussitque mundum nosse nascendi vias.
cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet !
ipsa Troianos penates in Latinos transtulit,
ipsa Laurentem puellam coniugem nato dedit,
moxque Marti de sacello dat pudicam virginem ;
Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias,
unde Ramnes et Quirites, proque prole posterum
Romuli, patrem crearet et nepotem Caesarem.
cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet !
rura fecundat voluptas, rura Venerem sentiunt ;
ipse Amor puer Dionae rure natus dicitur.
hunc ager cum parturiret, ipsa suscepit sinu,
ipsa florum delicatis educavit osculis.
cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet !
ecce iam subter genestas explicant tauri latus,
quisque tutus quo tenetur coniugali foedere.
subter umbras cum maritis ecce balantum greges
et canoras non tacere diva iussit alites.
iam loquaces ore rauco stagna cygni perstrepunt,
adsonat Terei puella subter umbram populi,
ut putes motus amoris ore dici musico
et neges queri sororem de marito barbaro.
illa cantat : nos tacemus. quando ver venit meum ?
quando fiam uti chelidon vel tacere desinam ?
perdidi Musam tacendo nec me Phoebus respicit.
sic Amyclas cum tacerent perdidit silentium.
cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet !

DECIMUS MAGNUS AUSONIUS (310–c. 400 A.D.)

CCXCIV

The clear Waters of the Moselle

Mosella 48–81

I nunc, et Phrygiis sola levia consere crustis
tendens marmoreum laqueata per atria campum.
ast ego despectis quae census opesque dederunt
naturae mirabor opus, non dira nepotum
laetaque iacturis ubi luxuriatur egestas.
hic solidae sternunt umentia litora harenae,
nec retinent memores vestigia pressa figuras.
spectaris vitreo per levia terga profundo,
secreti nihil amnis habens : utque almus aperto
panditur intuitu liquidis obtutibus aër
nec placidi prohibent oculos per inania venti,
sic demersa procul durante per intima visu
cernimus arcanique patet penetrale profundi,
cum vada lene meant liquidarum et lapsus aquarum
prodit caerulea dispersas luce figuras :
quod sulcata levi crispatur arena meatu,
inclinata tremunt viridi quod gramina fundo ;
usque sub ingenuis agitatae fontibus herbae
vibrantes patiuntur aquas lucetque latetque
calculus et viridem distinguit glarea muscum.
tota Caledoniis talis pictura Britannis,
cum virides algas et rubra corallia nudat
aestus et albentes concharum germina bacas,
delicias hominum, locupletibus atque sub undis
adsimulant nostros imitata monilia cultus.
haud aliter placidae subter vada laeta Mosellae
detegit admixtos non concolor herba lapillos.
intentos tamen usque oculos errore fatigant
interludentes, examina lubrica, pisces.
sed neque tot species obliquatosque natatus
quaeque per adversum succedunt agmina flumen,
nominaque et cunctos numerosae stirpis alumnos
edere fas aut ille sinit cui cura secundae
sortis et aequorei cessit tutela tridentis.

CCXCV

Fishing in the Moselle

Mosella 240–286

Iam vero accessus faciles qua ripa ministrat,
scrutatur toto populatrix turba profundo
heu male defensos penetrali flumine pisces.
hic medio procul amne trahens umentia lina
nodosis decepta plagis examina verrit;
ast hic, tranquillo qua labitur agmine flumen,
ducit corticeis fluitantia retia signis;
ille autem scopulis subiectas pronus in undas
inclinat lentae convexa cacumina virgae,
inductos escis iaciens letalibus hamos.
quos ignara doli postquam vaga turba natantum
rictibus invasit patulaeque per intima fauces
sera occultati senserunt vulnera ferri,
dum trepidant, subit indicium crispoque tremori
vibrantis saetae nutans consentit arundo,
nec mora et excussam stridenti verbere praedam
dexter in oblicum raptat puer; excipit ictum
spiritus, ut fractis quondam per inane flagellis
aura crepat motoque adsibilat aëre ventus.
exultant udae super arida saxa rapinae
Luciferique pavent letalia tela diei.
cuique sub amne suo mansit vigor, aëre nostro
segnis anhelatis vitam consumit in auris.
iam piger invalido vibratur corpore plausus,
torpida supremos patitur iam cauda tremores
nec coëunt rictus, haustas sed hiatibus auras
reddit mortiferos expirans branchia flatus.
sic, ubi fabriles exercet spiritus ignes,
accipit alterno cohibetque foramine ventos
lanea fagineis adludens parma cavernis.
vidi egomet quosdam leti sub fine trementes
conlegisse animas, mox in sublime citatos
cernua subiectum praeceps dare corpora in amnem,
desperatarum potientes rursus aquarum.
quos impos damni puer inconsultus ab alto
impetit et stolido captat prensare natatu.
sic Anthedonius Boeotia per freta Glaucus,

gramina gustatu postquam exitialia Circes
expertus carptas moribundis piscibus herbas
sumpsit, Carpathium subiit novus accola pontum.
ille hamis et rete potens scrutator operti
Nereos aequoream solitus converrere Tethyn,
inter captivas fluitavit praedo catervas.
talia despectant longo per caerula tractu
pendentes saxis instanti culmine villae
quas medius dirimit sinuosis flexibus errans
amnis et alternas comunt praetoria ripas.

CCXCVI

A Sluggard

Ephemeres I. 1–24

Mane iam clarum reserat fenestras,
iam strepit nidis vigilax hirundo :
tu velut primam mediamque noctem,
Parmeno, dormis.

dormiunt glires hiemem perennem,
sed cibo parcunt : tibi causa somni,
multa quod potas nimiaque caedis
mole saginam.

inde nec flexas sonus intrat aures
et locum mentis sopor altus urget
nec coruscantes oculos lacessunt
fulgura lucis.

annuam quondam iuveni quietem,
noctis et lucis vicibus manentem,
fabulae fingunt cuï Luna somnos
continuarit.

surge, nugator, lacerande virgis :
surge, ne longus tibi somnus, unde
non times, detur : rape membra molli,
Parmeno, lecto.

fors et haec somnum tibi cantilena
Sapphico suadet modulata versu ?
Lesbiae depelle modum quietis,
acer Iambe.

CCXCVII

The Poet's Estate

Idyll. III. 1–32

Salve herediolum maiorum regna meorum,
quod proavus, quod avus, quod pater excoluit.
quod mihi iam senior, properata morte, relinquit,
heu heu nolueram tam cito posse frui !
iusta quidem series patri succedere : verum
esse simul dominos, gratior ordo piis.
nunc labor et curae mea sunt : sola ante voluptas
partibus in nostris ; cetera patris erant.
parvum herediolum, fateor : sed nulla fuit res
parva umquam aequanimis ; adde etiam, unanimis.
ex animo rem stare aequom puto, non animum ex re.
cuncta cupit Croesus, Diogenes nihilum ;
spargit Aristippus mediis in Syrtibus aurum ;
aurea non satis est Lydia tota Midae.
cui nullus finis cupiendi, est nullus habendi :
ille opibus modus est, quem statuas animo.
verum ager iste meus quantus sit, nosce : etiam me
noveris, et noris te quoque, si potis es :
quamquam difficile est se noscere. γνῶθι σεαυτόν,
quam propere legimus, tam cito neglegimus.
agri bis centum colo iugera ; vinea centum
iugeribus colitur, prataque dimidium.
silva supra duplum quam prata et vinea et arvum :
cultor agri nobis nec superest, nec abest.
fons propter puteusque brevis, tum purus et amnis :
naviger hic refluus me vehit ac revehit.
conduntur fructus geminum mihi semper in annum.
cui non longa penus, huic quoque prompta fames.
haec mihi non procul urbe sita est, nec prorsus ad urbem ;
ne patiar turbas, utque bonis potiar.
et quoties mutare locum fastidia cogunt,
transeo : et alternis rure vel urbe fruor.

CCXCVIII

To a skilful Stenographer

Epigramma CXLVI. 1–36

Puer, notarum praepetum
sollers minister, advola.
bipatens pugillar expedi,
cui multa fandi copia,
punctis peracta singulis,
ut una vox absolvitur.
ego volvo libros uberes
instarque densae grandinis
torrente lingua perstrepo :
tibi nec aures ambigunt,
nec occupatur pagina
et mota parce dextera
volat per aequor cereum.
cum maxime nunc proloquor
circumloquentis ambitu,
tu sensa nostri pectoris
vix dicta iam ceris tenes.
sentire tam velox mihi
vellem dedisset mens mea,
quam praepetis dextrae fuga
tu me loquentem praevenis.
quis, quaeso, quis me prodidit ?
quis ista iam dixit tibi,
quae cogitabam dicere ?
quae furta corde in intimo
exercet ales dextera ?
quis ordo rerum tam novus
veniat in aures ut tuas
quod lingua nondum absolverit ?
doctrina non hoc praestitit
nec ulla tam velox manus
celeripedis compendii :
natura munus hoc tibi
deusque donum tradidit,
quae loquerer ut scires prius
idemque velles quod volo.

CCXCIX

To his Grandson on his Studies

Idyll. IV. 45–76

Perlege quodcumque est memorabile. priva monebo:
conditor Iliados et amabilis orsa Menandri
evolvenda tibi. tu flexu et acumine vocis
innumeros numeros doctis accentibus effer
affectusque impone legens. distinctio sensum
auget et ignavis dant intervalla vigorem.
ecquando ista meae contingent dona senectae?
quando oblita mihi tot carmina totque per aevum
connexa historiae, soccos aulaeaque regum,
et melicos lyricosque modos praefando novabis
obductosque seni facies puerascere sensus?
te praeeunte, nepos, modulata poëmata Flacci
altisonumque iterum fas est didicisse Maronem.
tu quoque qui Latium lecto sermone, Terenti,
comis et adstricto percurris pulpita socco,
ad nova vix memorem diverbia coge senectam.
iam facinus, Catilina, tuum, Lepidique tumultum,
ab Lepido et Catulo iam res et tempora Romae
orsus, bis senos seriem connecto per annos.
iam lego civili mistum Mavorte duellum,
movit quod socio Sertorius exul Ibero.
nec rudis hoc avus admoneo, sed mille docendo
ingenia expertus. multos lactantibus annis
ipse alui; gremioque fovens et murmura solvens
eripui tenerum blandis nutricibus aevum.
mox pueros molli monitu et formidine leni
pellexi, ut mites peterent per acerba profectus,
carpturi dulcem fructum radicis amarae.
idem vesticipes motu iam puberis aevi
ad mores artesque bonas fandique vigorem
produxi: quamquam imperium cervice negarent
ferre, nec insertis praeberent ora lupatis.

CLAUDIUS CLAUDIANUS (fl. c. 400 A.D.)

CCC

The Field of Pollentia

De bello Getico 623–647

Quis tibi nunc, Alarice, dolor, cum Marte perirent
divitiae spoliisque diu quaesita supellex,
pulsaretque tuas ululatus coniugis aures ;
coniugis invicto quae dudum freta marito
demens Ausonidum gemmata monilia matrum
Romanasque alta famulas cervice petebat !
scilicet Argolicas Ephyreiadasque puellas
coeperat et pulchras iam fastidire Lacaenas.
sed dea quae nimiis obstat Rhamnusia votis
ingemuit flexitque rotam : domat aspera victos
pauperies, unoque die Romana rependit
quidquid ter denis acies amisimus annis.
o celebranda mihi cunctis Pollentia saeclis !
o meritum nomen felicibus apta triumphis !
virtutis fatale solum ; memorabile bustum
barbariae ! nam saepe locis ac finibus illis
plena lacessito rediit vindicta Quirino.
illic Oceani stagnis excita supremis
Cimbrica tempestas, aliasque immissa per Alpes
isdem procubuit campis. iam protinus aetas
adveniens geminae gentis permisceat ossa,
et duplices signet titulos, commune tropaeum :
hic Cimbros fortesque Getas, Stilichone peremptos
et Mario, claris ducibus, tegit Itala tellus.
discite vesanae Romam non temnere gentes !

CCCI

Proserpine's Reception in Hades as the Bride of Pluto

De raptu Proserpinae II. 326–364

Pallida laetatur regio gentesque sepultae
luxuriant epulisque vacant genialibus umbrae.
grata coronati peragunt conviva Manes,

rumpunt insoliti tenebrosa silentia cantus,
sedantur gemitus. Erebi se sponte relaxat
squalor et aeternam patitur rarescere noctem,
urna nec incertas versat Minoia sortes.
verbera nulla sonant nulloque frementia luctu
impia dilatis respirant Tartara poenis:
non rota suspensum praeceps Ixiona torquet,
non aqua Tantaleis subducitur invida labris.
solvitur Ixion et Tantalus invenit undas
et Tityos tandem spatiosos erigit artus
squalentisque novem detexit iugera campi
(tantus erat), laterisque piger sulcator opaci
invitus trahitur lasso de pectore vultur
abreptasque dolet iam non sibi crescere fibras.
oblitae scelerum formidatique furoris
Eumenides cratera parant et vina feroci
crine bibunt flexisque minis iam lene canentes
extendunt socios ad pocula plena cerastas
et festas alio succendunt lumine taedas.
tunc et pestiferi pacatum flumen Averni
innocuae transistis, aves, flatumque repressit
Amsanctus, fixo tacuit torrente vorago.
tunc Acheronteos mutato gurgite fontes
lacte novo tumuisse ferunt, hederisque virentem
Cocyton dulci perhibent undasse Lyaeo.
stamina nec rumpit Lachesis, nec turbida sacris
obstrepitant lamenta choris. mors nulla vagatur
in terris, nullique rogum planxere parentes.
navita non moritur fluctu, non cuspide miles;
oppida funerei pollent inmunia leti,
impexamque senex velavit arundine frontem
portitor et vacuos egit cum carmine remos.
iam suos inferno processerat Hesperus orbi:
ducitur in thalamum virgo. stat pronuba iuxta
stellantes Nox picta sinus tangensque cubile
omina perpetuo genitalia foedere sancit.

CCCII

Is there a Moral Government of the World?

In Rufinum I. 1–24

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,
curarent superi terras an nullus inesset
rector et incerto fluerent mortalia casu.
nam cum dispositi quaesissem foedera mundi
praescriptosque mari fines annisque meatus
et lucis noctisque vices: tunc omnia rebar
consilio firmata dei, qui lege moveri
sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
qui variam Phoeben alieno iusserit igni
compleri Solemque suo, porrexerit undis
litora, tellurem medio libraverit axe.
sed cum res hominum tanta caligine volvi
adspicerem laetosque diu florere nocentes
vexarique pios, rursus labefacta cadebat
religio causaeque viam non sponte sequebar
alterius, vano quae currere semina motu
adfirmat magnumque novas per inane figuras
fortuna non arte regi, quae numina sensu
ambiguo vel nulla putat vel nescia nostri.
abstulit hunc tandem Rufini poena tumultum
absolvitque deos. iam non ad culmina rerum
iniustos crevisse queror; tolluntur in altum,
ut lapsu graviore ruant. vos pandite vati,
Pierides, quo tanta lues eruperit ortu.

CCCIII

Megaera describes the Monster Rufinus

In Rufinum I. 89–115

Est mihi prodigium cunctis immanius hydris,
tigride mobilius feta, violentius Austris
acribus, Euripi refluis incertius undis,
Rufinus; quem prima meo de matre cadentem
suscepi gremio. reptavit parvus in isto
saepe sinu, teneroque per ardua colla volutus
ubera quaesivit fletu, linguisque trisulcis

mollia lambentes finxerunt ora cerastae.
meque etiam tradente dolos artemque nocendi
et didicit simulare fidem sensusque minaces
protegere, et blando fraudem praetexere risu,
plenus saevitiae lucrique cupidine fervens.
non Tartessiacis illum satiarit harenis
tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis
aurea Pactoli : totumque exhauserit Hermum,
ardebit maiore siti. quam fallere mentes
doctus, et unanimos odiis turbare sodales !
talem progenies hominum si prisca tulisset,
Pirithoum fugeret Theseus ; offensus Orestem
desereret Pylades ; odisset Castora Pollux.
ipsa quidem fateor vinci, rapidoque magistram
praevenit ingenio : nec plus sermone morabor :
solus habet quidquid scelerum possedimus omnes.
hunc ego, si vestrae res est accommoda turbae,
regalem ad summi producam principis aulam.
sit licet ille Numa gravior, sit denique Minos ;
cedet, et insidiis nostri flectetur alumni.

CCCIV

The Birth of Honorius

De quarto cons. Honorii 121–156

Hinc natis mansura fides. hoc nobilis ortu
nasceris, aequaeva cum maiestate creatus
nullaque privatae passus contagia sortis.
omnibus acceptis ultro te regia solum
protulit et patrio felix adolescis in ostro ;
membraque vestitu numquam temerata profano
in sacros cecidere sinus. Hispania patrem
auriferis eduxit aquis : te gaudet alumno
Bosporus. Hesperio de limite surgit origo :
sed nutrix Aurora tibi. pro pignore tanto
certatur : geminus te civem vindicat axis.
Herculis et Bromii sustentat gloria Thebas ;
haesit Apollineo Delos Latonia partu ;
Cretaque se iactat tenero reptata Tonanti :
sed melior Delo, Dictaeis clarior oris,
quae dedit hoc numen regio. non litora nostro

sufficerent angusta deo ; nec inhospita Cynthi
saxa tuos artus duro laesura cubili.
acclinis genetrix auro, circumflua gemmis,
in Tyrios enixa toros : ululata verendis
aula puerperiis. quae tum documenta futuri ?
quae voces avium ? quanti per inane volatus ?
quis vatum discursus erat ? tibi corniger Ammon
et dudum taciti rupere silentia Delphi ;
te Persae cecinere magi ; te sensit Etruscus
augur, et inspectis Babylonius horruit astris ;
Chaldaei stupuere senes, Cumanaque rursus
intonuit rupes, rabidae delubra Sibyllae.
nec te progenitum Cybeleius aere sonoro
lustravit Corybas : exercitus undique fulgens
adstitit : ambitus signis augustior infans
sentit adorantes galeas, redditque ferocem
vagitum lituis. vitam tibi contulit idem
imperiumque dies : inter cunabula consul
proveheris : signas posito modo nomine fastus ;
donaturque tibi, qui te produxerat, annus.

CCCV

Imperialism

De Cons. Stil. 150–173

Haec est in gremium victos quae sola recepit
humanumque genus communi nomine fovit
matris, non dominae ritu : civesque vocavit
quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.
huius pacificis debemus moribus omnes
quod veluti patriis regionibus utitur hospes :
quod sedem mutare licet : quod cernere Thulen
lusus, et horrendos quondam penetrare recessus :
quod bibimus passim Rhodanum, potamus Orontem :
quod cuncti gens una sumus. nec terminus umquam
Romanae dicionis erit. nam cetera regna
luxuries vitiis odiisque superbia vertit.
sic male sublimes fregit Spartanus Athenas
atque idem Thebis cecidit. sic Medus ademit
Assyrio, Medoque tulit moderamina Perses :
subiecit Macedo Persen, cessurus et ipse

Romanis. haec auguriis firmata Sibyllae,
haec sacris animata Numae : huic fulmina vibrat
Iuppiter : hanc tota Tritonia Gorgone velat.
arcanas huc Vesta faces, huc orgia Bacchus
transtulit, et Phrygios genitrix turrita leones.
huc defensurus morbos Epidaurius hospes
reptavit placido tractu, vectumque per undas
insula Paeonium texit Tiberina draconem.

CLAUDIUS RUTILIUS NUMATIANUS (fl. c. 400 A.D.)

CCCVI

Imperialism

Nam solis radiis aequalia munera tendis
qua circumfusus fluctuat oceanus.
volvitur ipse tibi, qui continet omnia, Phoebus
eque tuis ortos in tua condit equos.
te non flammigeris Libye tardavit harenis,
non armata suo reppulit ursa gelu.
quantum vitales natura tetendit in axes
tantum virtuti pervia terra tuae.
fecisti patriam diversis gentibus unam :
profuit iniustis, te dominante, capi.
dumque offers victis proprii consortia iuris,
urbem fecisti quod prius orbis erat.

AURELIUS PRUDENTIUS CLEMENS (fl. c. 400 A.D.)

CCCVII

The Lesson of the Story of Tobit

Cathemerinon x. 69–92

Sancti sator ille Tobiae,
sacer ac venerabilis heros,
dapibus iam rite paratis
ius praetulit exequiarum.

iam stantibus ille ministris
cyathos et fercula liquit,
studioque accinctus humandi
fleto dedit ossa sepulcro.

veniunt mox praemia caelo
pretiumque rependitur ingens,
nam lumina nescia solis
Deus inlita felle serenat.

iam tunc docuit Pater orbis,
quam sit rationis egenis
mordax et amara medella,
cum lux animum nova vexat.

docuit quoque non prius ullum
caelestia cernere regna
quam nocte et vulnere tristi
toleraverit aspera mundi.

mors ipsa beatior inde est,
quod per cruciamina leti
via panditur ardua iustis
et ad astra doloribus itur.

CCCVIII

The Massacre of the Innocents

Cathemerinon xii. 109–140

Transfigit ergo carnifex
mucrone destricto furens
effusa nuper corpora,
animasque rimatur novas.

locum minutis artubus
vix interemptor invenit,
quo plaga descendat patens
iuguloque maior pugio est.

o barbarum spectaculum !
inlisa cervix cautibus
spargit cerebrum lacteum
oculosque per vulnus vomit :

aut in profundum palpitans
mersatur infans gurgitem,
cui subter artis faucibus
singultat unda et halitus.

salvete flores martyrum,
quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
ceu turbo nascentes rosas:

vos prima Christi victima,
grex immolatorum tener,
aram sub ipsam simplices
palma et coronis luditis.

quid proficit tantum nefas,
quid crimen Herodem iuvat?
unus tot inter funera
impune Christus tollitur.

inter coaevi sanguinis
fluenta solus integer
ferrum, quod orbabat nurus,
partus fefellit virginis.

CCCIX

The Roman Empire prepared the Way for Christianity

Contra Symmachum II. 602–633

Hanc frenaturus rabiem Deus undique gentes
inclinare caput docuit sub legibus isdem,
Romanosque omnes fieri, quos Rhenus et Ister,
quos Tagus aurifluos, quos magnus inundat Hiberus,
corniger Hesperidum quos interlabitur et quos
Ganges alit tepidique lavant septem ostia Nili.
ius fecit commune pares et nomine eodem
nexuit et domitos fraterna in vincla redegit.
vivitur omnigenis in partibus, haud secus ac si
cives congenitos concludat moenibus unis
urbs patria atque omnes lare conciliemur avito.
distantes regione plagae divisaque ponto
litora conveniunt nunc per vadimonia ad unum

et commune forum, nunc per commercia et artes,
ad coëtum celebrem, nunc per genialia fulcra
externi ad ius conubii: nam sanguine mixto
texitur alternis ex gentibus una propago.
hoc actum est tantis successibus atque triumphis
Romani imperii: Christo iam tunc venienti,
crede, parata via est quam dudum publica nostrae
pacis amicitia struxit moderamine Romae.
nam locus esse Deo quis posset in orbe feroci
pectoribusque hominum discordibus, et sua iura
dissimili ratione tuentibus, ut fuit olim?
sic incompositos humano in pectore sensus,
disiunctasque animi turbato foedere partes,
nec liquida invisit Sapientia, nec Deus intrat.
at si mentis apex regnandi iure potitus
pugnacis stomachi pulsus fibrasque rebelles
frenet et omne iecur ratione coërceat una,
fit stabilis vitae status et sententia certa
haurit corde Deum, Domino et subiungitur uni.

CCCX

A Christian Soldier at a Pagan Sacrifice

Apotheosis 469–502

Tum subito exclamat media inter sacra sacerdos
pallidus: en quid ago? maius, rex optime, maius
numen nescio quod nostris intervenit aris,
quam sufferre queant spumantia cymbia lacte,
caesarum sanguis pecudum, verbena, coronae.
accitas video longe dispergier umbras:
territa Persephone vertit vestigia retro
extinctis facibus, tracto fugitiva flagello.
nil agit arcanum murmur, nil Thessala prosunt
carmina, turbatos revocat nulla hostia Manes.
nonne vides, ut turibulis frigentibus ignis
marceat, ut canis pigrescat pruna favillis?
ecce Palatinus pateram retinere minister
non valet: elisa destillant balsama dextra.
flamen et ipse suas miratur vertice laurus
cedere, et incertum frustratur victima ferrum.
nescio quis certe subrepsit Christicolarum

hic iuvenum : genus hoc hominum tremit infula et omne
pulvinar divum ; lotus procul absit, et unctus :
pulcra reformatis redeat Proserpina sacris.
dixit et exsanguis collabitur, ac, velut ipsum
cerneret exerto minitantem fulmine Christum,
ipse quoque exanimis posito diademate princeps
pallet et adstantes circumspicit, ecquis alumnus
chrismatis inscripto signaret tempora ligno,
qui Zoroastreos turbasset fronte susurros.
armiger e cuneo puerorum flavicomantum
purpurei custos lateris deprenditur unus,
nec negat et gemino gemmata hastilia ferro
proicit ac signum Christi se ferre fatetur.
prosiluit pavidus deiecto antistite princeps,
marmoreum fugiens nullo comitante sacellum,
dum tremefacta cohors dominique oblita supinas
erigit ad caelum facies atque invocat Iesum.

BOËTHIUS (fl. c. 520 A.D.)

CCCXI

The Reign of Law

Quod mundus stabili fide
concordes variat vices ;
quod pugnantia semina
foedus perpetuum tenent ;
quod Phoebus roseum diem
curru provehit aureo,
ut quas duxerit Hesperus
Phoebe noctibus imperet,
ut fluctus avidum mare
certo fine coërceat
ne terris liceat vagis
latos tendere terminos—
hanc rerum seriem ligat
terras ac pelagus regens
et caelo imperitans amor.
hic si frena remiserit
quidquid nunc amat invicem

bellum continuo gerat :
et quam nunc socia fide
pulchris motibus incitant
certent solvere machinam.
hic sancto populos quoque
iunctos foedere continet ;
hic et coniugii sacrum
castis nectit amoribus ;
hic fidis etiam sua
dictat iura sodalibus.
o felix hominum genus
si vestros animos amor
quo caelum regitur regat.

NOTES

THE rules of the Saturnian metre, in which are written the following pre-Hellenic *carmina* as well as the translation of the *Odyssey* by Livius and the *Punic War* of Naevius, are thus given by Wordsworth *Fragments and Specimens of Early Latin* p. 397 (abridged) :—

The most regular scheme is a double set of three trochees preceded by an anacrusis or base—

⏓ | –́ ⏑ | –́ ⏑ | –́ ⏑ | –́ ⏑ | –́ ⏑ | –́ ⏑,

but the following seem to be the special rules which are drawn from a comparison of the more regular specimens. They are substantially the same as those adopted by Spengel :

(1) The *anacrusis* at the beginning of a line and the *thesis at the end of each half of it* cannot be suppressed.

(2) With this exception, *one thesis* (or syllable without an *ictus*) may be suppressed.

(3) The thesis most commonly suppressed is *the last but one in the last half.*

(4) Two short syllables may stand for one long.

(5) A long syllable may be substituted for a short in *thesis.*

(6) The *caesura* generally, but not always, divides the two halves.

(7) Elision is observed or neglected at pleasure.

With these licences the full scheme is as follows :—

⏓ | –́ (⏑) | –́ (⏑) | –́ ⏑ | –́ (⏑) | –́ (⏑) | –́ ⏑
⏑ ⏑ | ⏑ ⏑ (–) | ⏑ ⏑ (–) | ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ (–) | ⏑ ⏑ (–) | ⏑ ⏑ –

But many refuse to Saturnians any quantitative basis, and make it rest on accent alone.

I

1. The meaning is 'When thou dost thunder, Lord of light, men tremble before thee—when thy bolts thunder on the right.' **prae tet tremonti** = *te praetremunt.* The version given is that of Bergk. Merry, keeping nearer to the MS. of Terentianus Scaurus, gives for the second verse *quot ibi te viri audeïsunt tonare,* where *audeïsunt* = *audierunt,* the change of *s* to *r* between vowels not having yet established itself in Latin. So in l. 1 **Leucesie** = *Lucerie.* In fragments of the same hymn we have *foedesum, plusima, meliosem, asenam* (= *harenam*) ; and *Lases* = *Lares* in the *Carmen Fratrum Arvalium.*

2. **enos** = *nos* ; cp. the *e* in *equidem, ecastor, edepol.* **lue** = *luem* : **rue** = *ruem* = *ruinam* ; **sins** = *sine* (*sines*) from *sinere,* as in l. 4 **advocapit** =

advocabitis; **pleores** = *plures*; **fu** = *esto*; **berber** = *verbera*; **semunis** = *sehomōnes* = 'superhuman powers'; **triumpe** = *triumpha*. Literally rendered the chant runs: 'Help us, Lares, and thou, Marmar, suffer not plague and ruin to come on the folk. Be satiate, fierce Mars—[*To the priests*] Leap each o'er the threshold of the temple. Halt. Beat the ground. Call ye in turn on all the powers above. Help us, Marmor.—Tramp!' For **limen sali** Havet reads *nive ensali* = *neve insili*, and supposes the words to be addressed to Mars. Preller also makes the words an appeal to the god, and supposes the meaning to be 'return o'er the threshold of thy temple, cease to lash thy steeds.' But *sta verbere* 'halt with thy lash' seems impossible even in the most archaic Latin. The superstition of not touching the threshold with the foot appears in the carrying of the Roman bride into the house. Cp. Catull. LXI. 159—

> Transfer omine cum bono
> limen aureolos pedes
> rasilemque subi forem.

See also Plaut. *Cas.* IV. 1 (815). *Triumphare* means to march in solemn measure, and is probably connected etymologically with *tramp*. The song 'Tramp, tramp, tramp, the boys are marching' offers a curious literary coincidence.

II

2. **frudis** = *fraudis* = 'harm.' **ferocia** is 'crime,' 'violence;' **stupri** = *turpitudinis*.

4. This is the oracle brought by commissioners from Delphi during the siege of Veii 395 B.C. In l. 9 **endostaurata** = *instaurata*.

III

These epitaphs on the Scipios are taken from a monument near the Appian Way, beyond the *Porta Capena*. 1–4 are in Saturnian verse, the 5th being the earliest example of elegiac verse except the Epigrammata of Ennius.

1. **Gnaivod** = *Gnaeo*; **parisuma** = *parissima*, 'quite equal to'; **T. C.** = *Taurasiam, Cisaunam*; **Samnio**, 'in Samnium.'

2. Hunc unum plurimi consentiunt Romani
bonorum optimum fuisse virum virorum
Lucium Scipionem. filius Barbati
consul censor aedilis hic fuit apud vos.
hic cepit Corsicam Aleriamque urbem pugnando,
dedit Tempestatibus aedem merito votam.

For **duonorum** = *bonorum*, cp. *duellum* = *bellum*.

3. l. 1 = *apicem insignem*; l. 6 = *gremium*. The words **Publi Corneli Scipio** go together as vocatives.

4. **quom** = *cum*, prep. l. 3 'Whom (the shortness of his) life, not (the want of) merit deprived of office.' l. 6 'Ask not for his office, seeing that none was bestowed on him' owing to his early death.

5. l. 1 **mieis** = *meis* monosyll. l. 2 Lachmann regarded **progenie** as a dactyl; so *ŏriundi* (trisyllable) in Lucr. II. 991 is ⏑ – –. l. 4 **honos** 'office.'

IV

The verse of the *Odyssey* (given in a bracket) should be referred to in each case. The metre is Saturnian.

1. **insece** = *inseque* = *insequere*, from *insecco* = *insequor*, 'treat of,' ἔννεπε.

2. **ommantans** = *obmantans*, *manto* being frequentative of *manco* often found in Plautus.

3. **escas** = *escae*, gen.

5. **donicum** = *donec*; **vehentem**, intrans. 'driving'; **en** = *in*.

6. **puerarum**: *puera* = *puella*; **pulcerimĕ**, as *benĕ*, *malĕ*, and in Plaut. *probĕ*.

7. **dacrumas** = *lacrimas*; **noegeo**, derived from *naucus* 'the rind of an apple' according to Festus, who explains the word as *amiculi genus praetextum purpura*.

8. **topper**: usually derived from *toto opere*. This is now the accepted reading for *utrius fuerunt* of the MSS. Scal. conjectured *veris* (= *verres*) *vel sueris* (= *sues*), supposing the verse adapted to be ἢ σῦς ἠὲ λύκους ποιήσεται ἠὲ λέοντας.

9. **duona** = *bona*, as *duellum* = *bellum*; **induserinuntur** = *inseruntur*, cp. *indюperator* = *imperator*, and *endostaurata* = *instaurata* above II. 4.

10. **carnis**, nom. sing.; **anclabatur** = *ministrabatur*; cp. *Anculi*, *Anculae*, 'ministrants,' *ancilla*, and *Cup-encus*.

V

2. **procat** = *poscit*: Aegisthus orders Electra to be dragged away from the altar at which she had taken refuge.

3. Cp. φεῦ· τοῦ θανόντος ὡς ταχεῖά τις βροτοῖς
χάρις διαρρεῖ καὶ προδοῦσ' ἀλίσκεται.
Soph. *Aj.* 1266.

5. **anculabant**: *anclare* = *haurire*, Paul. Fest. See n. on IV. 10.

6. Cp. οὔλοισιν ἐξήμελξας εὐτραφὲς γάλα, Aesch. *Cho.* 897.

VI

1. Probably refers to Aeneas and Anchises leaving Troy with their wives.

2. **creterras** = *crateras*; **lepistas** = λεπαστάς 'goblets'; **vestem citrosam** = θυώδεα εἵματα.

4. **puer** = *puella*.

5. **scopas**, 'a broom'; **verbenas**, gen. sing. The reference is probably to the sacred ceremonies of the *Fetiales* in proclaiming war.

6. **flustra** = 'ground-swell'; *motus maris sine tempestate fluctuantis* (Isidore).

7. **sardare**, 'to show intelligence,' especially by speech; opposed to *βάρβαροι*. Cp. *ab-surd-us*, and *su-surr-us*, *sor-ex*, 'shrewmouse,' from collateral form *surrare* quoted by Varro.

8. **lucam bovem**, 'an elephant.'

VII

1. **lingula**, 'sword-blade.' Hercules threatens Laomedon, who has cheated him of his reward for saving Aesiona (Hesione) his daughter from the sea-monster.

3. **manubias**, 'flashes of lightning,' in augural terminology.

5. The Maenads carry snakes unhurt. Cp. Eur. *Bacch.* 695.

6. **arvas** = *arva*; so *extas*, *sertas* in O.L.

7. **ingenio** = *natura*.

8. **vitulantis** = *gaudentis*; derived from *vitulus*, the calf sacrificed, as *ovare* from *ovis*; others take it from the gambolling of a calf, cp. Eur. *Bacch.* 162, 866. The fragment expresses the fear of the Maenads that Lycurgus should send them from their revels 'with savage punishments.' But **decoratas** is strangely used. May not the *Poenae* be the *Eumenides*, whom Lycurgus in his madness fancies he has enlisted in his service? *Decoratus* = *stipatus*, 'surrounded,' as in Hor. *Ep.* I. 7. 6 *decorat lictoribus atris*. If so, this would throw light on the Virgilian text *Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus*, *Aen.* IV. 469, if we should not there read *Euiadum* for *Eumenidum*.

11. **duplicat**, 'bends us double,' 'bows us down.' Cp. Virg. *Aen.* XI. 645.

13. **cette** = *cĕdite*, from *cĕdo*, 'give,' 'produce.'

VIII

1. **redhostis** = *refers gratiam*; cp. *hostire contra* in Plautus.

2. **oreas** = bits; 'as easily might you put a bit into the mouth of a hungry lion.'

3. A joke on the favourite dishes of Praeneste and Lanuvium; the one loves nuts, the other a sow's matrix after farrowing.

4. 'The position of the poet under the sceptre of the Lagidae and Seleucidae is enviable as compared with his position in free Rome' (Mommsen, *R.H.* bk. iii. c. 14).

5. A flirt is described; she devotes herself in turn to each of her admirers, as in the game the ball is passed from one player to the other.

6. An early specimen of 'apt alliteration's artful aid'; cp. Ennius in XII. 2.

IX

